p. 268. est homo *noster et sicut nos, homo autem unione Deus factus est, ita ut deus homo fieret et homo deus fieret in virgine; statura corporali seu humanitate sua crescebat, sapientia autem divina et gratia, id est secundum naturam divinitatis, nullum augmentum aut incrementum accipiebat; — quodnam enim incrementum et augmentum acciperet ille natura aeternus? qui enim incipit, progreditur et perficitur, non natura Deus est; — dicitur tamen *crevisse*, et quidem bene hoc sensu: secundum eius divinitatem, in iis quae ad humanitatem eius pertinebant propter corpus, in quo splendor et radii naturae divinae, ratione incrementi staturae corporalis, resplendebant: secundum autem eius humanitatem, in iis quae superna *erant* propter divinitatem eius, qua nihil unquam amplius vel aequaliter perfectum est aut erit.

Quemadmodum hic, in dictis de magno Basilio, ita etiam illic, in epistula ad Cledonium, *docet:* idem filius Dei et salvator virtute incipit, progreditur et perficitur secundum carnem, non autem quatenus Deus est, secundum naturam incipit aut perficitur. Et e converso, incipit, progreditur et perficitur quatenus Deus *est*, in incarnatione, non autem incipit neque perficitur secundum carnem in deificatione. Non enim absolute et simpliciter illud « ex operibus » et « post baptisma » et « post resurrectionem », et neque initium, progressum et perfectionem denuntiat et reprobat pater noster Theologus, sed *tantum* si dicantur de divinitate Filii sine humanitate, aut de humanitate filii sine divinitate, secundum *sensus* adscriptitios quos pagani introducunt. Sin autem is, qui natura et ab aeterno filius Dei est, in « initio », in « progressu », in « perfectione »,
p. 269. aut « ex operibus [2] » aut « post baptismum » *aut « post resurrectionem », dicatur ratione unionis et propter incarnatio-

[1] Luc., II, 52. — [2] Codd. male ܥܒܕܝܗ.

non potius dixerit, Filium Dei ab aeterno et a saeculis esse, « anathema sit. Is enim [1] qui virtute coepit, aut progressus est, aut perficitur, non » in natura « Deus est, etsi propter ostensionem successivam ita dicitur ». Is autem, qui virtute nunquam coepit aut perfectus est, in natura non est homo, etsi propter incarnationem et inhumanationem talis dicitur.

Haec omnia addenda sunt, ut sensus doctoris accurate intelligatur. More enim rhetorum et breviter loquitur, praecipue cum contra Apollinarium decertat, qui in huiusmodi *rebus* famosus et eloquentissimus erat. Exemplum huius rei, prope adstans est in fine capitis quarti, ubi sermonem quidem incipit, apodosin autem omittit, dicens [2]: « Illic, in theologia [3], alius et alius, ne hypostases misceamus. Non autem aliud et aliud », substantia [4] et natura; « unum enim *sunt* tria [5], et eadem divinitas ». Hic autem, in incarnatione, e converso, aliud et aliud, substantia et hypostasis, *ita ut has non misceamus, neque confundamus. Non autem alius Filius et alius Deus. Unus enim Filius utrumque est et hoc ipsum per unionem. — Omnem hanc apodosim omisit, quae e comparatione ad *verba:* « Illic, in theologia, » subaudienda erat. Quemadmodum eruenda erat apodosis [ex] illis quae praemisit, ita et in fine capitis huius septimi fecit. Protasim quidem de humanitate salvatoris enuntiavit, apodosim autem de divinitate eius omisit; propter duo: tamquam rhetor brevitatem amans, et quia initio capitis eam virtualiter protulerat. Totus enim scopus huius capitis est adversus eos, qui naturam divinam unigeniti negant: octavi autem est adversus eos, qui naturam eius humanam negant. Rem de capite septimo se habere sicut diximus, ipse pater noster Theologus in homilia de sepultura magni Basilii docet. Dicit enim [6]: « Quod apud salvatorem video ego — et, opinor, omnes quoque sapientiores, — dum nobiscum fuit et formatus est secundum id quod supra nos et nostrum *erat*, id etiam hic accidisse video: ‘ Ipse enim

p. 267.

[1] Pro « Is qui ... », vertere licet, collato graeco textu (τὸ γάρ ἠργεμένον), « Quod virtute coepit, aut progressum est... »; pronomen enim demonstr. syriacum masculinum non raro neutrum graecorum vertit. Quod semel animadvertisse satis est (J. B. Ch.). — [2] *Patr. Gr.*, t. XXXVII, col. 180. — [3] Θεολογία. In textu graeco (*loc. cit.*) ἐπὶ τῆς Τριάδος. Ut supra, hic verba interpretativa textui genuino inserit Timotheus. — [4] « οὐσιά ». — [5] τὰ τρία πρόσωπα. — [6] *P. Gr.*, t. XXXVI, col. 548.

tractatum de una voluntate et de honore martyrum. Non enim habemus ullum eius exemplar. Molestari autem quotidie rebus inanibus neque possum, neque tempus habeo. Sed mitte festinanter epistulam illam aut apographum eius. Si apographum mittitur, corrige *illud*. Mitte nobis textum Dionysii, versionem Athanasii aut Phocae, quem uno mense exscripturi et remissuri sumus. Pete eam tibi ad legendum. Nemo sciat eam mittendam. Eam velociter exscripturi sumus et remissuri tibi. Mitte eam per virum tibi fidum, ne quid ei accidat. Nuntia nobis conditionem tuam. Vale, prospera et gaude in Domino nostro. Ora pro nobis, dilecte, electe, theophile.

XXXVIII. — Eiusdem ad Sergium.

Deum amanti Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator te salutat et castitatem tuam veneratur.

Epistula [1] magnae sapientiae tuae, in qua dubium et quaestionem de capite septimo [2] epistulae sancti Gregorii Theologi ad Cledonium proposuisti, ad nos cum aliis communicationibus tuis, o Christicola, pervenit et confessi sumus pro rebus tuis illi, qui creationi causa omnium bonorum est. Accepimus etiam pulchrum animum, quem in nos habes, *scilicet* nos res huiusmodi alta virtute examinare et explanare posse. Ut sententia,
p. 266. quam *de nobis habes, refutetur et ut appareat, quales *re vera* sumus, non quales a te aut ab aliis habemur, summa brevitate loquemur; primum caput ipsum *Gregorii* referemus, cum additamento explicativo earum quae necessario requiruntur, deinde pauca de sensu eius dicemus.

« Si quis dixerit [3], eum ex operibus perfectum esse », et non potius in natura et naturaliter filium Dei esse, « aut *dixerit*, eum post baptisma aut post resurrectionem ex mortuis adoptionis filiorum dignum factum esse, secundum illos paganos », videlicet Arianos, « adscriptitios *sensus* introducentes » [4]; et

[1] « χάρτης ». — [2] « Caput » hic significat non divisiones totius epistulae sed ordinem anathematismorum in ea prolatorum (I. B. Ch.). — [3] Textum graecum vide *P. Gr.*, t. XXXVII, col. 180. — [4] In graeco: καθάπερ οὗς Ἕλληνες παρεγγράπτους εἰσάγουσιν. Sed non sibi constat textus syriacus, hic ܐܝܟ ܕܢܢ ܡܬܩܠ; p. 269[31], 277[14], ܐܝܟ ܡܬܩܠ; p. 268[28], et 274[20] ܐܝܟ ܕܢܢ ܡܬܩܠ, quod melius graeco respondet (I. B. Ch.).

Patres quoque nostri in suis canonibus synodalibus studiose ita constituunt de honore corporum sanctorum et martyrum. *Canon vicesimus synodi, quae Gangrae post Nicaenam congre- p. 264.
gata fuit. x [1]. « Si quis cogitatione superbiae usus, congrega-
5 tionem [2] *in aedibus* martyrum vituperet aut reiiciat, aut officia quae pro eis *fiunt*, aut sepulcra eorum [3] despiciat, anathema sit. » — Canon nicaenus LXIII. « Placuit synodo oecumenicae, ut ossa eorum, qui pro Christo testimonio fidei verae coronati sunt, in ecclesiis et coenobiis reponantur, ut egentibus
10 auxilium praebeant. Et memoria eorum quotannis a tota communitate diligenter peragatur. Non enim sicut ceteri mortui reputandi sunt, sed honor amplior fiat eis, quia corona ecclesiae inter omnes gentes sunt, et sanguine eorum sancto cornu ecclesiae elevatum est. Hoc distinguimur ab infidelibus et ab
15 aliis, qui ab ecclesia discesserunt, quod hi, martyres sanctos, in quibus Deus vivus inhabitat, impuros habent, et nonnulli etiam resurrectionem mortuorum negant. Qui non honorat depositionem ossium sanctorum, socius et consors eorum est, qui eos reiiciunt et contemnunt. Haec secundum canones apo-
20 stolorum constituimus. Qui haec transgreditur, sub anathemate synodi universalis conclusus est » [4].

Honor ergo corporum sanctorum honor Christi domini nostri est, et honor Christi domini nostri honor Patris est. Ergo honor corporum sanctorum honor est Dei Patris.

25 Finis epistularum ad Naṣr.

XXXVII. — Eiusdem ad Sergium.

Christum amanti Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator, fraternitatem tuam in caritate Domini nostri salutat.

30 *Placeat tibi, domine, fasciculos illos epistularum mittere. p. 265.
Tibi enim non sunt utiles; a me autem semper eos quaerunt. Si autem fieri non potest, et tibi necessarii sunt, exscribe et mitte mihi exemplar epistulae secundae ad Naṣr, quae continet

[1] Sic Mss. — [2] σύναξις. — [3] « Aut officia (λειτουργίας) ibi habita et memorias (μνήμας) eorum ». Mansi, *Ampl. Coll.*, t. II, col. 1104. — [4] Vide textum breviorem huius canonis apud Braun, *De S. Nicaena synodo* (Münster, 1898), p. 102.

pades suas in receptionem sponsi caelestis parabunt. Si honor corporum sanctorum honor animarum eorum est, et honor animarum sanctorum honor domini earum, ergo honor corporum sanctorum honor domini eorum est. Et hoc alterum quod est in converso *sermone*. Quomodo? Si contemptus corporum sanctorum contemptus est animarum eorum; contemptus autem animarum sanctorum, domini eorum est; ergo contemptus corporum sanctorum domini eorum est. Ita enim docuit discipulos suos. Si corpora sanctorum ignominia afficiuntur; corpora autem sanctorum templa Spiritus sancti sunt; manifestum est ergo, ignominia corporum sanctorum ignominiam Spiritus sancti esse. Pariter honor corporum sanctorum honor
p. 263. Spiritus sancti est: templa enim *eius sunt. Corpora sanctorum, sive ignominia afficiuntur, sive honorantur, in Christo baptizata sunt; omnia quae in Christo baptizata sunt, Christum induerunt, secundum verba divina; ergo ignominia vel honor corporum sanctorum Christi est. Si ignominia vestimenti regis, regis est: corpora autem sanctorum vestimentum regis caelestis sunt; ergo evidens est ignominiam aut honorem sanctorum regis caelestis esse.

Hoc non dicimus, ut corpora sanctorum cum Deo et sicut Deus adorentur, — unum enim solum ab omnibus adorandum est, sicut typus in archetypo, corpus Verbi Dei, — sed ut honorentur tamquam domesticorum et amicorum Dei. Non in templis et ecclesiis, sed in martyriis et locis templis vicinis reponenda sunt; et tamquam templa Dei amplectanda et osculanda sunt. Si enim templa lapidea, inanimata, propter virtutem Dei in eis habitantem honoramus et amamus, quanto magis templa viva et rationalia corpora sanctorum, propter Spiritum sanctum et Christum in eis habitantem et residentem, amanda et honoranda sunt.

Sanctos vivere Dominus docet ubi dicit [1]: « Deus non est mortuorum, sed vivorum. Omnes enim ipsi vivunt ». Id etiam docet beatus Gregorius Theologus ubi dicit: « Deo vivunt omnes qui secundum Deum vixerunt, etsi a studio quiescunt, iuxta illud quo Deus Deus Abraham, Isaac et Iacob dicitur, ut non mortuorum sed vivorum Deus » [2].

[1] Luc., xx, 38. — [2] *Orat. in laudem Athanas., P. Gr.*, t. XXXV, col. 1081.

sitionis sermonis, generaliter seu indivisibiliter intelligenda et accipienda sunt; ergo et quod est eis simile, eodem modo, unice seu singulariter et peculiariter intelligendum est. Ergo una est voluntas et una operatio Verbi et carnis eius, sicut unus est motus et una modulatio musici et instrumenti eius. Et haec ita.

De honore corporum sanctorum haec sentire debemus. Si animae iustorum, sicut Dominus noster docuit [1] et ecclesia tenet, post discessum e corpore in paradiso sunt, paradisus autem locus est prae omnibus locis praeclarus et honoratus; ergo et corpora sanctorum martyrumque in locis distinctis et honorificis reponenda sunt. Turpissimum enim est, Deum animas servorum suorum honorare, etsi sine corporibus suis honorem non sentiunt, nos autem corpora servorum Dei spernere et contemnere; adversus Deum enim per hoc insurgimus. Non quod corpora sanctorum honoribus nostris honorantur, aut ignominiis nostris afficiuntur; sed nos honoribus eorum honoramur et nos ignominiis eorum afficimur. Ipsorum honor omnis a Deo est, et cum honorem servis Dei tribuimus, Deum honoramus, cum ipsos spernimus, Deum contemnimus, id est, nos ipsos despicimus; si quidem et verum est verbum Domini nostri: « Qui vos recipit, me recipit, *qui vos contemnit, me contemnit, p. 262.
et qui me contemnit, contemnit eum qui misit me ». Si enim anima et corpus aequaliter et mutuo laboraverunt; eorum autem quorum par est ministerium et labor, eorum etiam est merces, et coronas haud inaequales habent; ergo anima simul et corpus, easdem mercedes easdemque coronas habent, quaecumque et quandocumque sint, sive bonae sive malae. Et si iusti in anima, inquam, et in corpore certamina pro virtute pugnaverunt, et si animabus adhuc paradisus, tamquam typus, pro regno caelorum in habitationem datus est, etsi sine sensu et sine scientia usque ad resurrectionem corporum ibi commorantur; ergo et corporibus sanctorum, tamquam typus paradisi, habitatio eximia in locis paradiso ecclesiae [2] vicinis assignanda est, etsi omnino sine sensu et sine vita sunt, usque in diem, quo virgines suscitabuntur, resurgent et lam-

[1] Luc., xxiii, 43. — [2] Paradisus ecclesiae est absis; cfr. *Exposit. officiorum*; Script. Syr., Ser. II, t. XCI, versio, p. 90, 91, etc.

simul et Patris, qui me misit: illa autem *secunda sententia* non se fide indignum, Patrem autem fide dignum monstrare vult, sed docere vult, unam esse fidem in se et in Patrem, *quasi diceret:* Qui in me credit, non in me solum et seorsum credit, sed in me simul et in eum, qui me misit. Per illud autem: 5
p. 260. « Pater neminem iudicat; sed omne iudicium dedit *Filio », non docet se esse solum iudicem et Patrem omnino non iudicaturum, — unus enim et idem iudex divinus in hypostasi nostra humana est, — sed hoc dicit: Pater neminem iudicaturus est solus sine Filio, sed omne iudicium erit simul a Patre, Filio 10 et Spiritu sancto, in imagine visibili humanitatis Filii. Ipse enim est iudex mortuorum et vivorum, et constituit diem, quo iudicaturus est totam terram per virum quem secrevit, et omnes stabimus coram tribunali Christi. Per aliud, non Patrem quidem bonum, se ipsum autem contraria distinctione malum 15 esse docet; sed ipsius et Patris unam eandemque bonitatem esse docet. Si enim non est bonus nisi unus Deus, unus autem Deus Pater, Filius et Spiritus sanctus est, ergo non est bonus nisi Pater, Filius et Spiritus sanctus. Rursum, per illud « diem et horam », non Patrem scientem, seipsum autem scientia pri- 20 vatum monstrat, — unde enim sciret se nescire, si omnino scientia careret et ignorantia laboraret? — sed unam eandemque scientiam sui et Patris esse dicit; et si [1] de Patre affirmatione per cataphasin, de se ipso autem negatione per apophasin utitur: Omnia, quae Patris sunt, mea sunt, et mea, inquit, 25 vicissim Patris sunt. Pariter, quando dicit [2]: « Non mea voluntas, sed tua fiat », non duas voluntates, sed potius unam esse *sibi* cum Patre nos docet. Si omnia haec supra proposita de dualitate et divisione intelliguntur, ita ut sint duo verba, duae fides, duo iudices, duo adversarii, bonus et malus, duo denique, 30
p. 261. quorum unus intelligens sit, alter sine mente et sine *scientia, unus Pater, alter Filius, tunc concedendum est, et illud: « Non mea voluntas, sed tua fiat » dupliciter accipiendum et intelligendum esse, et duas voluntates in Christo esse, unam Dei, alteram humanitatis. Si autem omnia haec verba et eis similia, quae 35 eadem affirmative et negative dicuntur, id est [3], ratione compo-

[1] Haec sententia priori iungenda videtur; nisi sit lacuna in textu ante: « Omnia quae Patris etc. ». — [2] Luc., xxii, 42. — [3] Lege ܐܘܟܡܐ.

tum, ita etiam unus et idem Christus filius Dei contra seipsum in oppositione voluntatis perturbatur et dimicat. Non enim eadem unio est in Christo et in homine communi. In Christo enim non est voluntas et voluntas, neque cogitatio et cogitatio, 5 neque virtus et virtus, neque operatio et operatio; sed omnia in unam unionem ineffabilem collecta sunt. « Non mea voluntas fiat »; neque enim voluntatem habeo a tua diversam; sed illa una et communis tua et mea esto, quae est vita et redemptio omnium. « Et descendi [1] de caelo non ut faciam 10 voluntatem meam » separatim, neque habeo voluntatem singularem et separatam; « sed ut faciam voluntatem eius, qui me misit »: una enim est eius et mei voluntas, propter quam assumpsi ut homo fiam, ut patiar, ut moriar pro redemptione et vita omnium. Et quemadmodum cum dicit [2]: « Cum venerit 15 Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem; non enim ex sua sententia loquetur, sed omnia, *quae audiet, loquetur », p. 259. priori *sententia* non affirmat Spiritui esse doctrinam veritatis, sibi vero *doctrinam* huic oppositam; posteriori autem non vult Spiritum sanctum absque mente et absque ratione facere, neque se 20 aut Patrem in cathedra doctorum constituere et Spiritum sanctum sicut discipulum non probatum producere; sed priori *sententia* unam eandemque doctrinam veritatis, posteriori autem unam eandemque mentem et cogitationem esse sui ipsius et Spiritus sancti docere vult; ita etiam ubi dicit [3]: « Non mea voluntas 25 sed tua fiat et firmetur », non duas voluntates, sed unam eandemque duobus esse docet. Et quemadmodum ubi Dominus noster dicit modo [4]: « Hoc verbum, quod auditis non meum est, sed Patris, qui me misit »; et modo [5]: « Qui in me credit, non in me credit, sed in eum, qui me misit », et rursum [6]: 30 « Pater neminem iudicat, sed omne iudicium Filio dedit », et [7]: « Quid me bonum dicis; non est bonus nisi unus Deus », et [8]: « Illum diem nemo novit, neque angeli caeli, neque filius, nisi Pater »; illa *prima sententia* non se ipsum rationis expertem, Patrem autem rationabilem esse monstrare vult, sed unam 35 eandemque rationem sibi et Patri esse, nos docere vult; ac si diceret: Verbum, quod auditis, non est mei solius, sed mei

[1] Iohann., vi, 38. — [2] Iohann., xvi, 13. — [3] Luc., xxii, 42. — [4] Iohann., xiv, 44. — [5] Iohann., xii, 44. — [6] Iohann., v, 22. — [7] Marc., x, 18. — [8] Matth., xiii, 32.

erant ad eruditionem. Sicut enim pro natura communi moriturus erat, ita et pro natura communi loquebatur, dum figuram eius portat. Deinde *respondemus*, sicut Dominus Christus cum dicit [1]: « Pater meus hucusque operatur, et ego quoque operor », et rursum [2]: « Sicut Pater mortuos resuscitat et vivificat, ita et Filius, quos vult, vivificat », non duas virtutes, aut *duo* opera, aut *duas* operationes, neque duas resurrectiones, quorum alia Patris, alia Filii essent, pronuntiat et docet, — non enim inter se divisi et scissi sunt, ita ut altera opera Patris, altera Filii sint, et contingat Patri ut hos ex mortuis, Filio ut illos resuscitet; sed una est virtus et operatio tribus hypostasibus; — ita et Christus dominus noster cum dicit [3]: « Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ut faciam voluntatem eius, qui misit me », et [4]: « Non mea voluntas, sed tua fiat », non duas voluntates, sed potius unam ipsius et Patris docet. Et sicut quando [5] dicit [6]: « Nunc clarifica me, tu, Pater, apud te, illa claritate quam habui apud te, antequam mundus fuerit », non duas glorias docet, unam Patris, alteram ipsius, sed unam gloriam consubstantialitatis, regni et divinitatis, ipsius simul et Patris; quanquam hoc modo variatus est sermo, ita et cum dicit: « Non mea voluntas, sed tua fiat », non duas voluntates docet, unam ipsius,
p. 258. alteram Patris, sed unam eandemque duobus esse dicit, *etsi sub speciem divisionis et distinctionis dictus est sermo. Is enim qui dicit [7]: « Non mea voluntas, sed tua fiat », ipse est qui dixit [8]: « Potestatem habeo in animam meam ponere eam, et potestatem habeo iterum sumere eam. Nemo sumit eam a me, sed ego pono eam voluntarie ». Et rursum quid dicit? « Pater salva me ex hac hora. Sed propterea veni in hanc horam » [9]. Ecce clare demonstrat, unam esse suam cum Patris voluntate. Ergo etiam ubi hoc verbum dicit per modum quemdam affirmationis et negationis, unam voluntatem duorum manifestat. Non enim quemadmodum homo unus et idem sibi contradicens et contra se ipsum dimicans dicit: Non quod volo, facio, sed quod nolo facio [10], propter oppositionem naturarum et voluntatum

[1] Iohann., v, 17. — [2] Iohann., v, 21. — [3] Iohann., vi, 38. — [4] Luc., xxii, 42. — [5] In textu pro lectione cod. ܕܐܝܟ legendum est ܐܝܟ. — [6] Iohann., xvii, 5. — [7] Luc., xxii, 42. — [8] Iohann., x, 18. — [9] Iohann., xii, 27. — [10] Cfr. *Rom.*, vii, 15.

initio dominationem, filiationem et regnum super omnia possidet. Neque dicimus duas voluntates, neque duas proprietates aut operationes. Unio enim ineffabilis unam voluntatem et virtutem et unam operationem et unam proprietatem perficit. Praeter nomina enim hypostatica et naturalia nullibi in Christo duplicitas apparet. Si enim *Christus dominus noster per filiationem p. 256.
filius Patris est, filiatio autem una proprietas est, ergo et Christus unam proprietatem possidet, filiationem scilicet, ex qua et in qua filius dicitur et est. Et si Pater et filius unam virtutem habent; ii autem, qui unam virtutem, etiam unam operationem habent; ergo Pater, et Filius et Spiritus unam operationem habent. Atqui, qui unam operationem, etiam unam virtutem habent, et qui unam virtutem, etiam unam voluntatem habent; ergo quorum una operatio est, de eis etiam una voluntas praedicanda est. Et si in Christo una est virtus, eius autem qui unam virtutem *habet*, etiam una est operatio, eius autem qui unam operationem *habet*, una est voluntas; ergo de Christo, domino universi, una voluntas praedicanda est. Absurdum enim est cogitare aut dicere, Deum omnia in omnibus futurum esse, — non quidem natura, sed voluntate, motu et opere, — et dum omnium voluntas erit in mutatione illa excellenti resurrectionis ex mortuis, Christum solum ex omnibus, oppositione voluntatum, operationum et facultatum erga Patrem, erga seipsum et erga omnia laboraturum et pugnaturum. Itaque ergo ab omnibus cessabit oppositio et divisio voluntatum, ab angelis et ab hominibus, et in Christo solo in aeternum manebit? Sententia in atria exteriora reiicienda est, cum ne Mani quidem, in omni sua insania, in mundo futuro oppositioni locum dederit.

Sed fortasse dicet aliquis: Quomodo ergo dixit Christus [1]: « Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me »; et [2]: « Non voluntas mea, sed tua fiat ». Respondemus ad obiectionem oppositam et instantiam [3] primum sic: quemadmodum passio, *crux et p. 257.
mors non ipsius quidem seorsim sunt, sed potius naturae communis, ita etiam verba de passione et cruce plerumque locutus est, non ea quae ipsi congruebant, sed ea quae potissimum toti naturae *congruebant*, et magis discipulis apta

[1] IOHANN., VI, 38. — [2] LUC., XXII, 42. — [3] « ἀνάστασις ».

morem naturae nostrae, ita ut sudor eius fieret sicut guttae sanguinis, neque quia ab angelo confortatus est, ut nos auxilium Dei doceret, quod tempore orationis per angelos conceditur. Etenim, quia apparuit Adamo et Abrahamo in forma humana, et Moysi in igne et in nube, non dicimus eum esse mortalem, corruptibilem, compositum, finitum, factum, propter formam humanam in qua apparuit, neque dicimus esse non vivum et irrationalem propter formas corporales nubis aut ignis in quibus apparuit. Neque rursum imagines aut similitudines, in quibus apparuit, consideramus secundum naturas earum, id est, sicut simplicem imaginem hominis aut sicut nubem; sed consideramus similitudines ut Deum: ita enim loquebatur Abraham ac *si loqueretur* cum Deo; honorabatur enim imago in archetypo et sicut archetypus; archetypus autem nunquam contemnebatur aut despiciebatur in imagine. Et cum apparuerit non in typis et similitudinibus, sed in propria carne, ne despiciatur Deus, honoretur caro sicut Deus qui in ea apparuit. Et sicut in carne visibilis Deus dicitur, *« apparuit in carne » ait Paulus [1], ita in Deo dominus et Deus sit homo. Si enim Verbum carni, quae factum est, dominationem, filiationem et regnum servare non potuit, quae erit mihi expectatio adoptionis, quae mihi invenietur spes regni, quae mihi cogitatio participationis dominationis et imperii supererit? Audio Paulum dicentem et confortantem ordines et duces [2] exercituum regni caelestis [3]: « Si cum ipso patiemur, cum ipso glorificabimur. Et si tolerabimus, et cum ipso regnabimus ». Sin autem is, qui in carne generis mei est, in carne magnam gloriam, dominationem, et regnum super omnia habet, non sine fideli argumento sum et ego. Quod enim principio naturae nostrae totaliter *datum* est, hoc et nos per gratiam ex parte nobis futurum esse credimus. Non enim per virtutem ad dominationem, divinitatem et imperium gradatim adscendit. Antecedit enim virtutem unio, et crucem liberationemque humanitatis adhaesio et participatio cum Deo. Et idcirco non argumento morum et voluntatis, sed potius unioni dominationem tribuimus. Si quidem caro ab initio Verbo unita fuit; ex unione autem dominatio, filiatio et regnum super omnia *oritur*: ergo caro ab

p. 255.

[1] *Tit.*, III, 4. — [2] « στρατηγοί ». — [3] Cfr. *Rom.*, VIII, 17; II *Tim.*, II, 12.

« tu, *terra, non fuisti pura »; et rursum [1]: « Audi, caelum, et p. 253.
intende, terra », — *quemadmodum* ergo, quando haec audimus, non de terra et de caelo, sed de terrenis et caelestibus intelligimus, caelum et terra enim sine sensu et ratione sunt et dicuntur, angeli autem et homines ratione et sensu praediti sunt, et illi quidem caelestes propter locum conversationis, hi autem terreni dicuntur propter naturam aut locum; ita etiam in Christo domino nostro nomina « dominus » et « filius » de hypostasi, nomina « servus, peccatum, maledictum » de natura eius potissimum intelligenda sunt. Sicut enim homines terra et pulvis vocantur: non quidem proprie, sed metaphorice et sensu translato, ita vocatur Dominus noster « servus » non proprie, sed metaphorice et sensu translato, secundum naturam communem. Non ergo ignominia servitutis naturae nostrae in hypostasi humanitatis Domini nostri videnda est; sed e contra magnitudo gloriae et dominatio hypostaseos humanitatis [2] Domini nostri in natura nostra despecta, pauperi et servili videnda est. Servitus enim nostra in libertate eius liberata est. Parvitas nostra in magnitudine eius crevit. Paupertas nostra in divitiis eius dives facta est. Despectio nostra in glorificatione eius glorificata est. Mortalitas nostra in vita eius resuscitata est. Non quaeramus nostra in ipso, frater, sed quaeramus ea, quae ipsius sunt, in nobis. Quanquam enim Christum in carne cognovimus, tamen adhuc non novimus. Non quaeramus vivum cum mortuis. Quomodo aut quando erit et dicetur servus ille, qui a primo motu existentiae suae, quae *fuit* in Verbo, in utero deificatus est, et ab initio, in efformatione per Spiritum sanctum sanctificatus est? Non audeamus, Dominum, qui nobis in forma servi et ministri apparuit, servum dicere, quia peccata nostra tulit *et in corpore suo in crucem ascendere fecit, p. 254.
neque quia propter nos et pro nobis passus, mortuus et sepultus est, neque quia lavit pedes discipulorum, ut nos humilitatem et demissionem doceret, neque quia a Iohanne in Iordane baptizatus est, ut resurrectionem nobis repraesentaret et aquas nobis in baptismo suo sanctificaret, neque quia triginta annos legi et observantiis eius oboedivit, neque quia ieiunavit et oravit pro nobis, neque quia assumpsit omnem timorem et tre-

[1] Is., I, 2. — [2] Lege « divinitatis » (?).

composite, non absolute, neque sine divisione, sed dupliciter et cum diversis notionibus adduxit. Quomodo? Quasi dicat: de filio suo qui in Spiritu quidem aeterne ex Patre, in carne autem ex semine familiae David natus est; ut intelligamus, operationes et naturas sine separatione et sine divisione *esse*. Percipiamus autem e vi creativa et prioritate prae omnibus
p. 252. rebus *divum Paulum apostolum depingere et figurare magnitudinem gloriae unigeniti. Et si notio magnitudinis gloriae et dominationis unigeniti in illo « ante omnia » et in illo « in ipso omnia creata sunt » *posita* est; et *si* homo Domini nostri prae omnibus est, et omnia in ipso creata sunt in nova creatione, manifestum et evidens est, eandem imaginem magnitudinis gloriae et dominationis in Verbo simul et in carne Verbi repraesentari et effingi. Pariter se habet illud [1]: « Dixit Dominus domino meo: sede a dextris meis », et illud [2]: « Omnis lingua confiteatur, quod dominus est Iesus Christus », et illud [3]: « Qui est dominus Christus in civitate David », et [4]: « Ibis ante faciem Domini ». Omnia enim singulariter et indivisibiliter ad Verbum simul et carnem eius pertinent. Si enim caro Verbi est, Verbum autem, secundum blasphemiam Arii alexandrini, factum est, evidens est etiam carnem, sicut eum, qui eam induerat, servum esse. Sed si caro Verbi est, Verbum autem particeps throni, coronae et regni Patris est, ergo evidens et manifestum est, carnem quoque participem throni, coronae et regni Patris esse. Et hoc ipsum est illud prophetae: « Sede a dextris meis », et quod dixit angelus [5]: « cuius regni finis non erit ». Tribuatur ergo illud « dominus », et « rex » et « filius », hypostasi humanitatis Domini nostri, quae per unionem similitudo Dei invisibilis est et per naturam primogenita omnium creaturarum est; illud autem « servus », naturae communi. Et quemadmodum, quando scriptura divina de Adamo dicit [6]: « Pulvis es et in pulverem reverteris »; et rursum [7]: « fuit tota terra lingua una et loquela una »; et rursum [8]: « Ausculta, caelum, et loquar, audiat terra sermonem oris mei »; et rursum [9]: « Terra, terra, audi sermonem Domini » et:

[1] *Ps.* CIX, 1. — [2] *Phil.*, II, 11. — [3] LUC., II, 11. — [4] LUC., I, 76. — [5] LUC., I, 33. — [6] *Gen.*, III, 19. — [7] *Gen.*, XI, 1. — [8] *Deut.*, XXXII, 1. — [9] IER., XXII, 29.

naturas unam personam indivisibilem perfecit, ideo et utramque una eademque appellatione vocat. Id quod et Paulus apostolus in epistula ad Hebraeos et in illa ad Colossenses facit. Dicit enim ad Hebraeos [1]: « Nobiscum locutus est in filio suo, quem posuit haeredem omnium, et in quo fecit saecula ». Non secum congruunt illae praepositiones [2] « quem » et « in quo », neque illud « positus est haeres » cum illo « factor saeculorum ». Sed lectionem « in filio suo » singulariter simul et generaliter posuit. Singulariter ad significandam unionem personae filiationis; generaliter ad indicandam dualitatem substantiarum et hypostasium. Ad Colossenses *scribit* [3]: « Liberavit nos e potestate tenebrarum, et adduxit nos in regnum filii sui dilecti, in quo est nobis redemptio et remissio peccatorum, qui est imago Dei invisibilis et primogenitus omnium creaturarum, et in quo creata sunt omnia, quae in caelis et quae in terra, omnia visibilia et omnia invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt ». Hic quoque idem videre possumus. Illud: « Ipse est imago Dei *invisibilis », non idem est ac illud: « primogenitus p. 251.
omnium creaturarum »; neque praepositio [4] illa « per ipsum » eadem est ac illa « in ipso ». Sed etsi omnino ab invicem differant lectiones [5] actionum significativae et praepositiones, attamen posuit illud « filii sui dilecti » singulariter et indivisibiliter. Et non solum nomen personae significativum, sed et pronomina illa quasi digito demonstrativa, qualia sunt: ille, ipse, hic, ego, et alia huiusmodi pronominalia vocabula, specialiter, singulariter et individualiter hic et aliis locis ponit. Et cum vim significationis hypostaseon et substantiarum proprie ex natura rerum demonstret, tamen nomina characteristica personae, virtutis et operationis singulariter ponit. Exempli gratia: « de filio suo, qui natus est in carne ex semine familiae David [6] ». Non enim dicit: ille quidem filius in carne natus est, ille autem in Spiritu ex Patre. Sed illud « filio suo » et « qui » simpliciter, absolute et sine divisione posuit; illud vero « natus est in carne » non quidem simpliciter, sed

[1] *Hebr.*, I, 2. — [2] « πρόθεσις ». — [3] *Col.*, I, 13-17. — [4] « πρόθεσις ». — [5] « λέξις ». — [6] *Rom.*, I, 3.

est: Deus deorum autem ab omnibus cognoscetur et adorabitur, quando « veniet super nubes caeli cum virtute magna et gloria angelorum suorum [1] », quando revelabitur de caelo Deus ma-
p. 249. gnus et vivificator noster Iesus Christus [2]. Eadem *ratione beatus David in psalmo octavo, divinitatem eius et simul humanitatem eius sine discretione dominationem vocat [3]. « Domine, dominus noster, quam praeclarum est nomen tuum in tota terra. Qui dedisti gloriam tuam super caelum ». Aut, sicut dicit graecus: « Elevata est magnificentia tua super caelos ». Id est: Eo quod caelestis et divinus es, et eo quod homo et de terra es, unum eundemque splendorem magnae gloriae et dominationis possides, cuius radii lucis et gloriae iam totam terram tegunt. Exaltata est magnificentia coruscationis eius [4] super caelos. Testimonium accipis a caelo et terra, te esse creatorem et dominum omnium. « Ex ore iuvenum et puerorum constituisti laudem tuam ». Ut doceat unum eundemque dominum esse in divinitate simul et humanitate, tamquam de una persona directe loqui prosequitur. Et ut moneat, in utrisque formis ab invicem diversis unam eandemque imaginem dominationis apparere, utramque iunctim et mixtim commemorat. Idcirco, in illo: « ex ore iuvenum et puerorum », humanitatem, non tamen sine divinitate, et in illo: « viderunt caeli tui opus digitorum tuorum: lunam et stellas constituisti [5] », divinitatem, non tamen sine humanitate, memorat. Pariter et in sequentibus, utramque *naturam* inseparabiliter innuit, proferens commemorandum et commemorantem, subiectum et praecipientem, humiliatum et humiliantem, honorabilem et honorantem, laudabilem et
p. 250. laudantem eum, coronandum et coronantem. *potestate praeditum et qui ei potestatem dat. Et post omnia, reponit in fine quae erant initio: « Domine, dominus noster, quam praeclarum est nomen tuum in tota terra ». Admirandum et stupendum est, quomodo una appellatione, *scilicet* « Domine, dominus noster », Deum et hominem, factorem et factum, commemorantem et commemorandum, praecipientem et subiectum, honorantem et honorabilem, laudatum et laudabilem, coronantem et coronandum designat et nominat. Quia enim unio ineffabilis

[1] Cf. Matth., xxiv, 30. — [2] Cf. *Tit.*, ii, 13. — [3] *Ps.* viii, 1 sqq. — [4] Fortasse legendum « coruscationis tuae ». — [5] Peš. « quas constituisti ».

homo, qui e nostro *genere est,* Filius et genitus est Patris. Sed per unionem nomina transferuntur ad naturas: deus homo, homo deus fit et dicitur. Si enim Christus dominationem naturaliter et per unionem habet, naturaliter qua Verbum, per unionem qua homo nobis aequalis, tunc humiliantur Verbum Deus per assumptionem carnis, caro autem per oboedientiam usque ad mortem crucis. Si ergo non in utraque, in divinitate simul et humanitate sua, dominus est, quomodo in utraque demittitur et humiliatur? Sicut eo quod Deus erat, poterat omnino non incarnari, ita eo quod homo factus est, mortem crucis omnino non mori poterat. Et sicut voluntarie in humilitate incorporatus est et homo factus est, ita et voluntarie qua homo passus et mortuus est. « Potens sum in animam meam, ponere eam, et potens sum eam iterum assumere [1] ». Si ergo Dominus est, *qui humiliatus est; humiliatus autem est Dominus noster p. 248.
in humanitate sua usque ad mortem crucis; ergo dominus est Iesus Christus et in humanitate sua. Sin autem in humanitate sua servus est, quomodo humiliatus est usque ad mortem crucis? Proprium enim naturae eius mors fuit, sed non humiliatio. Sin autem humiliatus est usque ad mortem crucis, quomodo non Dominus est? Poterat enim non mori, et in humiliatione mori accepit. « Propterea [2] et Deus valde exaltavit eum et dedit ei nomen, quod praestantius est omnibus nominibus ». Attendamus verbis; non dicit: Deus exaltavit eum, neque: dedit ei nomen praestans; sed cum additamento « valde exaltavit eum » et « nomen, quod praestantius est omnibus *nominibus* » dedit ei. Habebat enim dominationem per unionem iam ex utero et possidebat nomen dominationis et divinitatis e ventre *matris*; sed *id* non manifestum neque evidens erat omnibus: cognitum est, ex parte quidem, in resurrectione eius ex mortuis; cognoscetur vero totaliter in resurrectione et renovatione generali. Itaque *apostolus* de manifestatione et revelatione, non de progressu et gradu magnitudinis gloriae eius loquitur. Dominus enim erat, et est, ab utero et conceptione, sicut dixi; in resurrectione autem apparebit et videbitur Dominus dominorum. Exaltatus erat a motu *primo* existentiae; altissimus autem cognoscetur in revelatione sua e caelo. Deus erat et

[1] IOHANN., X, 18. — [2] *Phil.*, II, 9.

humanitatis, quae ex Adamo est, praestantior et honoratior est Adamo et omnibus creaturis. Si enim Adam ex terra, Christus autem ex Maria natus est, et si terra sine vita et ratione, Maria autem viva et rationalis est, vivum autem non vivo praestantius est et rationale irrationali, ergo et quoad causas primas Christus praestantior est Adamo. Adamus autem Christo inferior est. Si Christus, Verbum quidem ex Patre, homo autem ex Maria est, et si Pater secundum naturam Deus, nomen autem Mariae a mārīā (*dominus*) deductum est, — Mariam enim a mārīā tamquam ab attributo particulari *deducitur*: ita enim in libro scriptum est; — ergo Christus, noster dominus et Deus est secundum naturam ex Patre, et dominus rursum est ex Maria, quae eum genuit. Non enim dicta est ancilla genitrix eius, sed mĕraimṭā (*sublimis*) et mārtā (*domina*) a voce mārīā (*dominus*). Dominus ergo Christus est, etiam propter nomen genitricis. Domina enim dominum gignit; sublimis et altissima altissimum simul et sublimem gignit. Cuius enim generatio a generatione regum est, cum patres eius circa mille annos regnaverint, et nomen eius nomen dominationis sit; quae in templo Dei sub tutela Zachariae sacerdotis educata est: quam Deus in votum a matre accepit et pulchre crescere fecit; quae a Deo[1] in templo nutrita est, non autem sollicitudine hominis; quae talis erat quemnam mundo gignere debuit? Numquid servum? Et quare ergo non ex commixtione viri factus est sicut omnes homines? Cur[2] Verbum e membris eius caro *factum est*, et
p. 247. cur Spiritus sanctus formationi *adfuit?* *Ex omnibus evidens est, eum qui e Maria virgine natus est, dominum esse, non servum. Et ipsum appellavit David Dominum a dextris Patris sedentem, donec omnes inimici eius scabellum sub pedes eius ponerentur. Ipse dicitur natus in splendoribus sanctuarii ex utero, et ipse rursum dicitur natus aeternaliter ex Patre, quia Verbum est. Eundem enim filium Dei, connaturalem Patri et sacerdotem in aeternum *David* novit, illud tamquam Deum, hoc tamquam hominem. Quemadmodum enim genitum est in carne a Patre secundum unionem, ita etiam est sacerdos Verbum secundum unionem. Homo enim secundum substantiam, non autem Verbum, quod e Patre *est*, sacerdos *fuit*: neque

[1] I. e. ab altare Dei. — [2] Pro ܡܢ ܕܡܐ in R scriptum est ܡܕܡܐ ܕܡܐ.

Surgunt adversarii dicentes: Mirabile quidem est, quod e Virgine natus est sine semine et amplexu virili: mirabilius autem et magis mirandum est, quod Adam e terra natus est, ipse animatus, mobilis et vivus ex illa inanimata, immobili et non viva. Et si hic illo mirabilior est, aut neutrum Deum et dominum confitebimur, aut si ille, cuius nativitas mirabilis est, Deus et dominus est, hunc quoque, cuius nativitas mirabilior et magis miranda est, potissimum Deum et dominum confiteri debemus. Respondemus ad propositum dubium: Generatio e terra non solum ad Adam pertinet, sed etiam ad equos, tauros et omnes reliquas bestias et pecora. Sicut enim Deus Adam primum e terra creavit, ita et omnes bestias e terra creavit. Generatio autem e virgine sine viro *nemini unquam facta est. p. 245.
Atqui, quod solum et singulare in suo genere est, hoc mirabilius et laudabilius et laude et gloriatione maxime dignum est. Ergo generatio e Maria virgine praeclarior, mirabilior, et Deo similior et dignior est, et ideo qui omnino solus e virgine natus est, dominus et deus praedicandus et adorandus est, sive propter dominationem et divinitatem, quas e natura et unione possidet, sive propter discrimen ab omnibus in nativitate secundum carnem. Si ergo generatio Adami e terra mirabilis est, et generatio omnium animalium e terra pariter admirabilis est, num erunt Adam et omnia animalia irrationalia eiusdem honoris et gloriae? aut nullus eorum rationalis et alio praestantior invenitur? Sed quoad generationem et formationem e terra Adam quidem et omnia animalia irrationalia pares sunt. E terra enim et opus Dei omnia sunt. Quoad honorem autem et rationem, nullum eorum Adamo par est. Hic enim imago et similitudo Dei est, non autem animalia. Et hic dominus et princeps in ea, illa autem servi et ei subiecta sunt. Dominus autem noster et salvator noster Iesus Christus neque quoad generationem, neque quoad dominationem et potestatem par est Adamo. Quomodo ergo comparabuntur inter se Dominus cum servo, cum imagine Dei naturali et similitudine per unionem, is, qui in forma et similitudine huius factus est, caelestis cum terrestri, spiritalis cum terreno? Sicut praestantior est margarita concha, fructus arbore, homo pulvere aut semine, ex quo formatus est, ita et potiori modo *Christus, p. 246.
salvator noster, dominus noster et deus noster in natura suae

utero ab initio te, puer, genui »; aut sicut dicit graecus: « e ventre ante stellam matutinam genui te »; et eo ostendit nobis aeternitatem generationis eius divinae, secundum illud [1]: « Ante solem est nomen eius ». Ex parte enim totum ostendit, secundum illud: « qui est ante saecula [2] ». Loco dicendi: Aeternaliter ante omnes creaturas genui te; dicit: « E ventre ante stellam matutinam genui te ». Quia stella matutina, id est sol, denotat tempora, — « Sint in signa et tempora » dicit Dominus [3], — *et quia* supra omnia tempora et momenta genitum est Verbum aeternaliter a Patre, idcirco recte dicitur: « E ventre ante stellam matutinam genui te ». Si enim omnes motus et omnia tempora e motione stellarum sunt: atqui supra omnem motionem solis et stellarum est generatio Verbi a Patre; merito ergo dicitur: « ante stellam matutinam genui te ». Etiam, secundum conditionem [4] et lectionem syri, non de Verbo Deo et generatione aeterna singulariter, sed communiter et de generatione aeterna et de illa Filii Dei in carne, accipi potest *testimonium*. Quomodo? Concedendum est hoc: « in splendoribus Sanctitatis ex utero » generationem carnalem e virgine sancta *significare*, illud autem: « ab initio te, puer, genui » generationem aeternam ante omnia saecula a Patre. Insignis enim est, et splendens et gloriosa et sancta generatio tua: sive illa e virgine sancta, quia sine semine et sine violatione virginitatis fuit; sive illa e Patre, quae aeternaliter absque initio perfecta est, sine motu enim et sine tempore resplenduit. Ita ut sit idem elementum significativum
p. 244. *utriusque generationis Filii Dei: illius aeternae, e Patre, per illud: « ab initio, te, puer », et illius temporalis, e matre, per illud: « in splendoribus Sanctitatis ex utero genui te ». Et idcirco de generatione illa divina hoc: « ab initio, te, puer, genui », dixit, id est, aeternaliter, ante omnia tempora; de illa autem carnali illud « in splendoribus sanctitatis » addidit. Et per commemorationem splendoris et sanctitatis, ab omni immunditie et sordibus carnalibus mentem avertit et elevat, ut intelligamus e sublimitate generationis carnalis sublimitatem generationis aeternae. Cuius enim generatio carnalis splendens simul et sancta est, quanto magis generationem eius divinam splendidissimam et sanctissimam esse, agnoscere debemus?

[1] *Ps.* LXXI, 16. — [2] *Ps.* LIV, 19. — [3] *Gen.*, I, 14. — [4] « κατάστασις ».

mino meo » assignaverunt, certantes magis contra seipsos quam contra veritatem. Quid enim facient de hoc quod dictum est in lege [1]: « Descendere fecit Dominus ignem et sulphur ex ante Dominum de caelo »; et [2]: « Die, quo creavit Deus Adam, in imagine Dei creavit eum ». Et, quod in *psalmis* Davidis dicitur [3]: « Sedes tua, Deus, in saeculum saeculorum », et paulo post: « Propterea *unxit te Deus, deus tuus ». Ecce idem īhīh, qui et thronum ab aeterno possidet et unctionem accipit. p. 242.

Haec dixi, ut demonstrarem, vel in hebraeo, unam eandemque dominationem in carne et in Verbo apparere, in illa per unionem et regnum, in hoc per naturam et substantiam, non per gradus aut progressus, sed naturaliter et unitive a *primo* motu existentiae et incarnationis. Et cum vellet exponere, de quo praedicetur paritas gloriae, utrum de eo, qui secundum substantiam et naturam dominus est, an de ea *carne*, quae per unionem et ⌜creationem [4] dominus *est*, addit *David* [5]: « donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ». Quis habet inimicos et osores, natura divina an humana? Atqui natura Dei sine adversario est. Si ergo non in sententiam Marcionitarum et Manichaeorum flectimur, quae bono et malo in oppositione entium et ⌜agentium⌝ aeternorum aeternitatem decernit, restat *ut sit* natura humana, quae diabolos et daemones habet inimicos, quae eos in resurrectione mortuorum subiiciet, quando omnis princeps et omnis potestas et omnes virtutes transibunt, et ultimus inimicus, mors, destruetur. « Virgam fortitudinis mittet Dominus ex Sion, et dominabitur super inimicos tuos ». Ecce et hic « virgam » hypostasim humanitatis, « fortitudinis » autem hypostasim divinitatis Domini nostri vocat: sicut et alius propheta dicit [7]: « Exibit virga de trunco Iesse, et germinabit surculus e radice eius ». « Populus tuus praeclarus est in die virtutis in splendoribus Sanctitatis » [8]. Et id simile est illi Danielis prophetae [9]: « Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Dei ». Omnes enim qui passi sunt cum eo, cum eo glorificabuntur, et qui cum eo sustinuerunt, cum eo *regnabunt [10]. « Ex p. 243.

[1] *Gen.*, XIX, 24. — [2] *Gen.*, V, 1. — [3] *Ps.* XLIV, 7, 8. — [4] Ad litt.: « in fieri ». — [5] *Ps.* CIX, 1 sqq. — [6] R habet ܪܫܝܬܐ « principiorum ». — [7] Is., XI, 1. — [8] *Ps.* CIX, 3. — [9] Recitatur MATTH., XIII, 43. Cf. DAN., XII, 3. — [10] Cf. *Rom.*, VIII, 17; II *Tim.*, II, 12.

enim nihil differt alah, ab alaha, et melek a malka et šaliṭ a šaliṭa[1], ita neque « dominus » a « dominus meus ». Et si est aliqua differentia, eam in exaltatione, non in deminutione agnoscimus, verbi gratia[2]: « Deus deorum, dominus locutus est », et[3] « Dominus dominorum locutus est, quis non timebit? » et[4] « Non est Deus alius, sed unus *est* », et[5] « Rex regum et potens potentium ». Pariter et illud « dominus meus » in exaltatione, non in deminutione agnoscendum est.

Ecce et in lingua hebraica[6], in qua haec primum scripta
p. 241. sunt, idem nomen *et easdem litteras, mutatis lectionibus et punctis, legunt « dominus » quidem adōnāi[7] declinationem nominis per illud nai operantes; sed « dominus meus » adōnī[8], dum declinationem nominis non per nāi sicut in primo casu, sed per mēm aut nūn[9] operantur, coarctando et comprimendo illud nāi faucibus; et in hoc non quidem veritatem, sed eorum violentiam ostendunt. Textus enim primigenius a spiritu datus litteris īhīh et « dominum » et « dominum meum » significavit[10]; sed ipsi, inimicitia et animi acerbitate, īh de « domino », et adōnī de « domino meo » sumpserunt, dum volunt, in sua ignorantia et crassitudine, per illud magnum honorem naturae divinae, et per istud minorem gloriam Christo assignare, aut cuilibet personae alii de qua psalmum interpretantur. Crediderunt enim et credunt, vocem illam ih de persona dici non posse. Deum enim, secundum sententiam iudaicam, in unitate naturae simul et in unitate hypostaseos intelligunt. Inde *ad id* pervenerunt, ut scripturas sacras corrigerent, et ad « dominum » illud ih, ad « dominum meum » illud adōnī tamquam per sortes referrent: non intellectum suum versus Spiritum, sed Spiritum versus intellectum trahentes et ducentes. Illud enim īh quasi per sortem litterarum « domino » tribuerunt, adōnī autem « do-

[1] « Deus », « rex », « potens ». Discrimen est in usu grammaticali quod latine accurate reddi nequit; fere idem est ac si dicas: Θεός vel ὁ Θεός etc. — [2] *Ps.* XLIX, 1. — [3] AMOS., III, 8. — [4] Cfr. *Deut.*, VI, 4. — [5] I *Tim.*, VI, 15. — [6] Quae habet auctor in hac pericope non omnino clara sunt, fortasse ex imperitia sua linguae hebraicae. Probare intendit eandem vocem sine fundamento legi modo *adōnai* modo *adōni*; praeterea videtur accusare Iudaeos quod in psalmo substituerint voci *Iahveh* vocem *Adōnī*. — [7] אדֹנָי. — [8] אדֹנִי. — [9] אדֹנִים, אדֹן. — [10] Textus psalmi habet נאם יהוה לאדני.

a primo motu et a delineatione ordinationis existentiae. Caro enim ipsi Verbo Dei infixa est, et in Spiritu sancto et a Spiritu efformata est. Et sicut caro nunquam sine filiatione Verbi apparet, ita neque sine dominatione Verbi apparet, etsi Verbum Deus omnium creator est. « Omnia enim per ipsum facta sunt et sine ipso nihil factum est [1] », sicut scriptura divina dicit. Sed ibi et in sermone de incarnatione non dicitur, Verbum carnem creasse et fecisse, sed scriptum est, factum esse: « Et Verbum caro factum est [2] ». Non dicit: Verbum carnem fecit, sed « Verbum caro factum est », ut nos doceat, statim et ab initio existentiae unionem sublimem *factam esse*. Si ergo esse carnis Verbi est, et magnitudinem gloriae Verbi carnis esse affirmandum est. Si enim illud quidem « factum est » ad carnem pertinet secundum naturam; caro autem est Verbi per unionem: ergo et illud « factum est » ad Verbum pertinet, non quidem secundum naturam, — non factum est ipsum Verbum secundum naturam, — sed secundum unionem: homo enim factum est sine mutatione, propter renovationem omnium.

Rursum, si *magnitudo gloriae et dominatio Verbi secundum naturam est, Verbum autem caro factum est et incorporatum est, ergo magnitudo gloriae et dominatio sunt carnis, non secundum naturam, — *caro* enim servus peccati et mortis est, — sed secundum hypostasim et unionem. Deus enim et rex facta est ex utero per dominationem quae est Verbi secundum naturam. p. 240.

Haec igitur et Spiritus sanctus per David docuit [3]: « Dixit Dominus domino meo, sede a dextris meis ». Evidens et manifestum est, hoc non de Deo, sed de homine Domini nostri dictum esse. Non enim de Verbo Deo, quod est Patri consubstantiale et connaturale, quod omnia *attributa* magnitudinis gloriae eius sicut ipse aeterne possidet, dicebat: « Sede nunc a dextris meis », sed de humanitate Domini nostri sermonem habebat propheta, quae, cum e natura terrena facta sit secundum substantiam, in altitudinem magnam et immensurabilem throni Dei pervenit. Ideo una eademque appellatione utramque naturam, Deum simul et hominem, honorat, hoc scilicet nomine « domini ». Nihil enim differt illud « dominus », ab illo « dominus meus ». Sicut

[1] Iohann., i, 3. — [2] Iohann., i, 14. — [3] *Ps.* cix, 1.

aut, si placet, *si* homines, qui spiritus adoptionis participes facti sunt, non secundum carnem neque carnales sed secundum spiritum spiritales esse dicuntur, prout placet Christo, qui in
p. 238. Paulo loquitur [1], quanto *magis homo Domini nostri non secundum naturam eius mortalem, terrenam et humiliatam, sed potius secundum nomina personam Dei Verbi significantia, filius, inquam, Dominus, rex et Deus super omnia vocandus est.

Haec, o frater, magnae sapientiae tuae, — edoctus a Deo enim es et eris, — sed magis in institutionem mentis aliorum scripsi, et scopus epistulae ad te quidem *datae,* cum sis mysteriorum regni superni particeps, ad alios potissimum spectat, qui a vita Dei abhorrent, quorum Deus venter [2], quorum gloria in ignominia eorum, et quorum cultus in terra est. Cultus autem noster in caelo est; et inde expectamus revelationem Domini nostri Iesus Christi, qui transformabit corpus humilitatis nostrae, ut faciat illud consimile corpori gloriae suae.

XXXVI. — Eiusdem epistula secunda ad Naṣr fidelem.

Christum amanti Mār Naṣr, fideli: Timotheus peccator, salutem in Domino.

Primum volo, ut magna sapientia tua sciat, ea, quae in textu epistularum antea scriptarum dicta sunt, non fidei tuae pulchrae *dicta esse.* Quomodo enim hoc fieri et dici posset tibi, qui in natura confiteris dominationem Christo, et connaturale et consubstantiale Patri praedicas Verbum Deum, et hanc ipsam dominationem, quae est in natura et in carne vides, et quasi gloriam unigeniti etiam gloriam, quae *est* in carne
p. 239. eius, vides et credis propter *unitatem filiationis et singularitatem regni et gloriae. Sed adversus opinionem quae debilitat maiestatem Christi Domini nostri, et ad servitutem naturae communis eum reclinat, data sunt ea, quae verbis epistularum data sunt, quae sive ad te sive ad universam communitatem fidelium dicta sunt.

Deinde persuasum est magnae sapientiae tuae, tanquam familiari cum verbis divinis, sicut ex utero una filiatio Verbo et carni eius est, ita et unam dominationem Verbo et carni eius esse

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 15. — [2] Cf. *Phil.*, III, 19-21.

nomine hypostasis eius margaritam, non nomine naturae eius concham, hanc vero nomine hypostasis purpuram, non nomine naturae lanam vocamus, — nemo enim nomine naturae proprie margaritam concham, aut purpuram lanam dicit; — ita et margarita seu purpura hominis Domini nostri, non e nomine conchae, quae eam genuit, sed potius e nomine proprio eius id est margaritae, et non e nomine lanae, naturae eius, sed potius e nomine hypostasis eius, id est purpurae regis regum caelestis dicenda est. Haec est enim margarita illa evangelica [1] magni pretii, immo inaestimabilis pretii, quam cum invenerit mercator quaerens margaritas, abiit et vendidit omnia quae habebat et emit eam. Haec est stola et vestimentum illud, quod in vino et sanguine uvarum in cruce dealbatum est [2], postquam antea *in Virgine per adventum Spiritus p. 237. sancti et virtutem Altissimi constitutum et purpureum factum est. Si enim aurum, postquam effigies regia ei impressa est, non nomine naturae aurum, sed nomine hypostasim eius significante denarius vocatur, quanto magis hypostasis hominis Domini nostri, cui imago naturalis et effigies filii Dei impressa est, non servus propter sordes naturae, sed filius et Deus, qui est super omnia, erit et dicenda est. Et si semen, quod materia in constitutionem naturae nostrae est, post perfectionem imaginis et creationem animae in eo, non semen proprie, sed homo dicendum est; aut, si placet, *si* granum tritici, postquam in maturitatem bonam crevit, non nomine naturae suae granum, sed potius nomine hypostasis suae spica dicitur, quanto magis homo Domini nostri non servus et subiectus nomine naturae eius, sed potius filius, dominus et Deus, et aliis huiusmodi qualitatibus et nominibus hypostasim eius significantibus, vocandus est. Etenim in dominationem, in regnum, in filiationem, et ut fiat Deus super omnia ab aeterno et ante omnia saecula destinatus erat per scientiam illam accurate omnia videntem, non autem in servitutem et subiectionem, neque sicut illi, qui modo servi, modo per gratiam Dei eis datam liberi sunt. Si enim templa, quae super terram aedificantur, etsi secundum naturam paria ceteris aedificiis sunt, non nomine parium naturae eorum aedificia, sed templa aut sanctuaria dicuntur;

[1] Matth., xiii, 46. — [2] Cf. *Gen.*, xlix, 11; *Apoc.*, vii, 14.

tasse per novem menses in utero servus erat et postea liberatus est? Aut fortasse triginta annos erat servus, et post baptisma liberatus est? Aut fortasse ante passionem et crucem servus erat, et post resurrectionem ex mortuis liberatus est? Sin autem haec omnia impia sunt, et *si* ex die, quo Spiritus eum in utero sine commixtione formavit, dominus, haeres et dominator simul superorum et inferorum est, restat ergo necessarie, ut illud « servus » naturae humanitatis eius et illud « dominus » hypostasi humanitatis Domini nostri iungas, sicut doctor magnus dicit. Sicut enim hypostasis humanitatis Domini nostri nunquam sine filiatione naturali Verbi Dei videtur, ita nunquam hypostasis humanitatis eius videtur sine dominatione naturali Verbi Dei. Hoc sensu verba scripturae et illa doctorum probatorum sumenda sunt. Vera est ergo utraque sententia doctoris de eodem filio Dei, sed non eodem sensu. Vera est vox « servus » de natura eius, vox autem « dominus » de hypostasi eius humana.

Nemo dicat: si *vox* « servus » in naturam eius transit, ergo et in hypostasim eius venit, cum naturae eius subiecta hypostasis oriatur. Servitus enim in Adam non naturaliter sed voluntarie fuit, sicut etiam Rabban *Narsē* alicubi metro suo consueto dicit: « Peccatum transgressionis mandati Adamum servituti iunxit; servitus non est naturae, sed liberae voluntatis *est* ». Non enim sicut *notio* vivi, rationalis, mortalis, ita et haec
p. 236. servi in natura est, ita ut *e natura in hypostasim transire debeat. Servitus enim passio voluntatis est. Talibus autem passionibus hypostasis humanitatis Domini nostri immunis est. Effusa est enim existentia [1] eius in regione [2] filiationis et dominationis naturalis Verbi, et ab ipso utero fulget radiis lucidis filiationis et dominationis naturalis Verbi, nec ullus locus est servituti in Christo. Et sicut passio et mors destructae sunt in resurrectione, ita et servitus et servus destructa sunt in unione cum Verbo. Et quidem passio et mors pariter fuerunt in hypostasi humanitatis Domini nostri, et destructae sunt; servitus autem nunquam fuit in hypostasi humanitatis Domini nostri. Sicut enim margarita in concha et ex concha nascitur, et purpura regia in lana et ex lana texta et necta est; et illam

[1] C « intellectus ». — [2] « χώρα ».

nomine « similitudinis servi », sed non nomine « servi » designant. Valde miratus sum prudentiam tuam, quod demonstrationem de Domino nostro proferre voluit ex homine haeretico et anathematizato, ex Ḥannana, inquam, Adiabeno. Nonne audivisti, eum in synodo a Mār Sabrīšōʿ, catholico, patriarcha, anathematizatum esse? Quomodo ergo transgrederis constitutiones patrum saeculares, dum virum anathematizatum et expulsum legis? Si Ḥannanae Adiabeno assentimur, dicemus prout in expositione Lucae evangelistae scripsit: « Si *quis interro- p. 234.
gaverit, quid Deum Verbum coegerit a Iohanne baptizari; dicimus: Eadem causa, quae Deum coegit nasci e Virgine, et pati, et crucifigi et sepeliri, eum coegit et a Iohanne baptizari »? Sed eiiciamus Ḥannanam ex aulis ecclesiae in ea loca, quae Dominus non intuetur. Ungantur expositiones eius aromatibus *simul* cum legibus illis Platonicis, cingantur purpura lanea, et mittantur cum hirundinibus in cistam (?) Sergii [1]. Attulisti autem et testimonium magni doctoris Mār Narsē, qui dicit: « Ab ipso didici dicere eum dominum et servum »; miror, quod non audivisti [2] et illud alterum: « Ex die, quo Spiritus eum in utero, sine commixtione, formavit, dominus, haeres et dominator simul superorum et inferorum est ». Cum autem idem doctor eundem hominem Domini nostri dominum simul et servum dicat, quaeramus, quomodo haec duo inter se concordent.

Aut enim utrumque verum est, aut utrumque falsum, aut unum verum, alterum falsum. Sed utrumque eadem ratione de eodem verum esse impossibile est. Si enim Dominus est, non servus est, et si servus est, non Dominus est. Sin autem dicis, hominem Domini nostri servum quidem fuisse, sed postea liberatum esse, quaerimus, quandonam servus fuerit et quando a servitute liberatus sit. Utrum ante unionem, an post unionem cum Verbo? Si servus erat antequam Verbo unitus sit, non existebat quidem secundum hypostasim, sed secundum naturam, sicut Levi in lumbis Abraham *erat*. Ergo secundum naturam suam servus erat, sicut dixeram, non secundum hypostasim suam humanam. Sin autem dicis, post unionem cum Verbo eum servum fuisse, *postea autem liberatum esse: quando p. 235.
et quantum temporis servus fuit et quando liberatus est? For-

[1] Locutio nobis obscura. — [2] Codd. « audivit ».

dinem servi factus, propter passiones naturales et irreprehensibiles, quas propter nos tulit. Non autem dicimus eum hypostatice servum factum esse. Sicut enim mortem voluntarie tulit, cum omnino non mori posset: « Potens sum animam meam ponere et potens sum iterum assumere eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam voluntarie [1] »; ita etiam omnes passiones naturales et irreprehensibiles voluntarie pro nobis tulit salvator noster, ut passiones nostras in sua passione et mortem nostram in sua morte solveret et destrueret. Si quis autem aliter cogitaverit, et dixerit eum apparentiam *tantum* passionum monstrasse, in carne autem secundum naturam supra passiones fuisse, haec sententia Marcionitarum et Manichaeorum est. Ecclesia autem Dei vivi, sicut in natura agnoscit divinitatem Christi et eius sublimia, ita in natura agnoscit humanitatem Christi et eius humilia, et ambas congregat unione in unam personam [2] filia-
p. 233. tionis eius. Illud « servus » Christo, non autem *Verbo consubstantiali Patri inhaeret: connaturale enim divinitati eius et splendor gloriae eius est; neque corpori, *quod est* generis nostri. Non enim in servitutem, sed in filiationem assumptum est. « Hic [3] est filius meus dilectus, in quo mihi complacui »; hoc humanitatem eius, non eius divinitatem, significat et illum filium, qui in carne natus est et sanctus et filius altissimi dicendus est. Et [4]: « Natus est vobis hodie salvator, qui est dominus Christus », et non « servus ». Et [5]: « Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ». Et [6]: « Puer natus est nobis et filius datus est nobis » et cetera. Et [7]: « Ecce virgo concipiet et pariet filium ».

Demonstrationes autem, quas ex doctoribus attulisti, e beato Theodoro et e sancto Nestorio, omnes de natura eius humana, non autem de hypostasi Filii, sumendae sunt. Differt enim natura eius ab hypostasi eius, sicut differt singulare ab universali. Applica diligenter mentem tuam verbis Patrum et invenies eos, sicut scripturam Spiritus, ita appellationem servitutis et servi in naturam communem referre. Non enim hypostasim humanitatis Domini nostri, sed naturam humanitatis eius servum vocant; hypostasim autem humanitatis eius

[1] Iohann, x, 18. — [2] πρόσωπον. — [3] Matth., iii, 17. — [4] Luc., ii, 11. — [5] Luc., 1, 28. — [6] Is., ix, 6. — [7] Is., vii, 4.

Quod autem scripsit mihi castitas tua, *nempe* quosdam dixisse quod *Christus* non revera manducavit aut bibit, nec vere esurivit, sitivit, fatigatus est, dormivit, ieiunavit, oravit, et reliqua huiusmodi, opinio est culpabilis non minus quam prior. Aequum est enim, eum, qui a Deo segregatus est iudex mortuorum et vivorum, cum dominus mortuorum et vivorum sit, nomine servitutis ignominiose afficere, aut dicere eum supra passiones naturales et irreprehensibiles fuisse. Ita nobis ratiocinandum est: Sicut propter unionem suam cum Verbo Deo potestatem habebat, si vellet, non patiendi et non moriendi, — is enim, qui alios a morte salvaturus erat, maxime se ipsum a morte liberare poterat; tulit tamen passionem, crucem et mortem propter commodum nostrum, et ut monstraret, se vere naturam nostram induisse, non phantasma, similitudinem et apparentiam, sicut Manichaei dicunt, — ita propter unionem cum Verbo Deo, qui omnium necessitates explet, poterat, si voluisset, seipsum sine cibo servare, et immortali iam vita vivere. Id autem non fecit, ne ordinem rerum dispensationis perturbaret, neque haeresibus futuris manum praestaret. Si enim, postquam e Virgine post novem menses natus est, postquam ubera suxit, super genua portatus et educatus est, postquam manducavit et bibit, postquam triginta annos sub lege fuit, postquam fatigatus est, esurivit, sitivit, passus, crucifixus, mortuus et sepultus est, si, *inquam,* postquam haec omnia fecit et tulit secundum naturam, quidam incarnationem filii Dei negant, quanto magis si quid huiusmodi non ostendisset, locus fuisset falsis doctrinis spem naturae humanae amputandi et oeconomiam divinam blasphemandi. *Ideo omnes passiones naturales et irreprehensibiles, praeter peccatum, tulit, et quia passiones naturales et irreprehensibiles tulit, sed sine peccato, quod est imago vera servitutis, ideo in similitudine servi, non autem servus dicitur. Et sicut dicitur in similitudinem hominum factus, non autem homines factus est, — unus enim ex hominibus, non omnis homo factus est; — et *sicut est* aequalis eis in similitudine naturae, non autem eis aequalis in hypostasibus, cum illi multi sint, ipse autem unus sit: illi ex passione, concupiscientia et concubitu, ipse autem sine his conceptus et natus sit: illi ex copula parentum, ipse autem ex adventu Spiritus et virtute altissimi conceptus et natus sit: ita etiam dicitur in similitu- p. 232.

una natura sunt ambo, non autem sunt una hypostasis. Pariter et Adam in similitudinem et secundum imaginem suam generasse dicitur. Hic quoque unam similitudinem naturalem hypostasibus Adami et Sethi tribuit. Unum enim idemque vivum, rationale, mortale est et Adam et Seth: non autem ipsa hypostasis Adami Seth est, etsi in similitudine illius est. — Secundum autem ea, quae praeter naturam sunt, similitudo dicitur, quemadmodum dicitur rhetor similis rhetori, musicus musico, aliquo modo vel arte, aut quemadmodum similis est homo in effigie, ei qui in natura *est*. Dicimus ergo similitudinem secundum natu-
p. 230. ram in Christo Domino nostro *dupliciter seu duplici modo. Dicitur enim Christus Dominus noster similis esse et Patri suo simul et nobis: at non eo quod similis est nobis, similis est Patri, nec eo quod similis est Patri, similis est nobis. Sed similis est Patri in hypostasi divinitatis suae, similis autem est nobis in hypostasi humanitatis suae. Si enim Christus non esset duae hypostases, omnino non posset habere similitudinem et paritatem naturae simul nobiscum et cum Patre suo. Una enim hypostasis duas similitudines naturaliter habere non potest. Hic autem, cum duae hypostases sit, in hypostasi divinitatis suae habet similitudinem cum Patre suo, eo quod Deus *est*; in hypostasi vero humanitatis suae habet nobiscum similitudinem, eo quod homo *est*. Quemadmodum Christus similis est in hypostasi divinitatis suae Patri, et tamen hypostasis eius non est Pater, etsi eo quod Deus *est* in huius similitudine est; ita et Christus in carne, in hypostasi suae humanitatis servo similis est, non autem hypostasi sua servus est, etsi in similitudine servi est. Et sicut Seth in similitudine Adami est, non autem hypostasis Adami est, ita et Dominus noster est in similitudine servi, non hypostasi sua servus est. Dominum, similitudine servi indutum, comparat cum servis veris secundum naturam et libertatem, qui secundum naturam aequales sunt, secundum hypostasim non sunt *aequales*. Hi servi sunt et dicuntur: ipse servus quidem dicitur, non autem sensu stricto. Similitudo servi vocatur quidem, metaphorice tamen; sensu autem vero et stricto dominus est et Filius Dei super omnia, prout Pater per prophetas et apostolos testatus est, et « venturus est de caelo » et « adorandus et confitendus est ab omnibus Dominus
p. 231. Deus in gloria *Patris ». Et haec quidem ita.

involutus erat, sed potius eius personam [1] respiceret et intueretur; filii autem Candacis, e contrario, speciem tantum servi et militis, non vero personam [1] regis considerabant [2]. Ita et hic. Hypostasis incarnata Christi, quae libera est et domina, in similitudine ⌜servi [3] apparebat: non autem omnibus nota erat; sed filii speciem quidem tantum et similitudinem servi intuebantur, Pater autem eum, quis revera esset, revelabat et ostendebat: « Hic est filius meus dilectus » [4]; neque ipse Iohannes Baptista eum cognoscebat; Spiritus quidem edocuit eum et ipsi revelavit de eo.

Illud « servus », quod in veteri testamento *adhibetur*, ad personas rectorum mundi spectabat, qui mysterium et typum Filii Dei gerebant. Et quasi servis, eis qui perficiebant mysterium maxime congruit illud « servus »; modo Zorobabeli, modo Iesu bar Iozedeq, modo Macchabaeis aut aliis: servi revera, non autem in similitudine servorum, erant. Illud vero « similitudo servi » ad humanitatem Domini nostri spectat, quae similitudo servi, sed non servus, erat. Effigies enim fuit libertatis *Adami, non vero eius servitutis; imago fuit et similitudo p. 229.
Dei, quae in eo ab initio depicta et ficta est, non similitudo adversarii et calumniatoris.

Consideremus quod natura sibi nunquam similis esse dicitur. Si enim natura quid singulare est, singulare autem sibi non simile est, ergo et natura sibi nunquam similis esse dicitur. Singulare enim non simile, sed potius idipsum esse dicitur. Ergo alius alii similis dicitur. Alius alii similis esse dicitur aliquando natura, aliquando iis quae praeter naturam *sunt*. Secundum naturam aliquid alicui simile dicitur sicut dicitur de Filio, eum esse in forma Dei. Filium enim *scriptura* Patri similem dicit secundum naturam, id est unam eandemque in duabus hypostasibus, in Patre nempe et in Filio, *esse* naturam; etenim quoad divinitatem seu naturam, eadem forma est in duabus illis hypostasibus, non autem quoad personas [5]: eo quod ille quidem Pater, is autem Filius est. Hypostasis hypostasi comparatur in eadem forma naturali et in imagine; et ideo

[1] « ὑπόστασις ». — [2] Cf. *The History of Alexander the Great* (ed. Budge), text., p. 220. — [3] In codd.: « domini ». — [4] Matth., iii, 17.
[5] « πρόσωπα ».

ille terrenus, ideo et cum similitudinem hominis caelestis induerimus, quia homo secundus dominus de caelo est, sicut Paulus dixit, necessarie caelestes, domini et filii fiemus. Cum
p. 227. causis enim et sicut causae etiam causata *sunt*. *Si ergo Adam primus servus fuit, et si Adam novissimus servus est, et si induimus primum et induimus etiam novissimum, servitutem in servitutem et subiectionem in subiectionem mutavimus. Si autem id absurdum est, concedatur sors servitutis Adamo primo pulvereo, qui e terra *fuit*, sors autem libertatis et liberorum Adamo novissimo et spiritali. Dedit enim nobis potestatem ut, ipso mediatore, filii Dei fiamus et vocemur [1]. Iam ergo nobis, qui filium Dei recepimus, talis et tanta potestas data est ut filii Dei simus et vocemur, Filio autem Dei in carne huiusmodi potestas nunquam erit, neque vocabitur, neque erit filius Dei, sed servus simul et subiectus? Nos quidem e servis liberos faciet, et filios Dei pro servis ostendet, ipse autem servus in saecula saeculorum manebit, et subiectus in generationes generationum erit et dicetur?

Subditus ergo et subiectus est Filius Patri, sicut scriptum est [2]. Sed observemus, filium esse, qui subiectus est, non autem servum et mancipium. Sicut enim anima menti, corpus autem animae subiectum est, ita et Filius in carne Patri subiectus est. Deinde sciendum et intelligendum est, in veteri testamento servum, in novo autem similitudinem servi dici. Non quasi non una eademque natura humana in utroque testamento et secundum utrumque confitenda sit. Natura enim una et eadem *est* humana, quae tunc illic et quae nunc hic dicitur. Hypostasis autem non una eademque est, illa servi et illa, quae per additionem, in similitudine servi dicitur. Eadem est natura,
p. 228. sicut *diximus, in servo et similitudine servi. Hic autem *est* hypostasis domini et liberi in similitudine servi, sicut Deus, qui prioribus in similitudine hominis revelatus est, aut sicut Alexander rex, qui cum hypostatice dominus et rex esset, similitudinem servorum, militum et legatorum induebat, cum inspicere vellet regnorum fines et opes; quem tamen Candace regina non servum, neque legatum, sed regem et dominum dignoscebat, cum non speciem vestimenti servi et militis, quo

[1] Cfr. Iohann., i, 12. — [2] Cfr. Luc., ii, 51; I *Cor.*, xv, 28.

sunt et vocantur, et Deum omnipotentem iam patrem nominant et vocant; Christus autem solus ex omnibus servus erit et dicetur, ipse liberator omnium a servitute peccati et mortis? Scripsit autem et ad Corinthios ita: [1] « Si quis ex vobis convertitur ad Dominum, auferetur ab eo velamen. Dominus autem spiritus est, et ubi spiritus Domini, libertas est ». Iam ergo ubi spiritus Domini, libertas est: ubi autem ipse Dominus, servitus erit? Et quomodo, si Dominus servus est, spiritus Domini libertatem operabitur? Si ergo spiritus libertatem operatur, spiritus autem Domini est, ergo Dominus per spiritum suum libertatem operatur. At si Dominus est libertatis operator, nemo autem, qui libertatem operatur, servus est, ergo Dominus servus non est. « Nos [2] autem omnes cum fiducia gloriam Domini tamquam per speculum videmus. *Et in similitudinem p. 226.
eius transformamur de gloria in gloriam a domino Spiritu ». Speculum enim saeculi futuri Christus est et in ipso videmus gloriam immortalitatis, incorruptibilitatis, dominationis et regni caelorum. Et expectamus et nos horum participes fieri per Christum dominum nostrum, quasi per mediatorem, transformati ex eo, quod sumus, in similitudinem redemptoris nostri in carne, e gloria praesenti partiali in gloriam totalem futuri saeculi. Si in Christo regnum caelorum expectamus, Christus autem dominus noster in carne servus est, ergo transformationem in similitudinem servi expectare debemus. Quomodo dicit: « de gloria in gloriam tamquam a domino Spiritu »? Si enim Spiritus sanctus nos in similitudinem carnis Christi domini nostri transformat, Christus autem dominus noster in carne dominus et Deus super omnia est, ergo Spiritus sanctus nos in similitudinem carnalem libertatis Domini nostri transformat, non ut naturaliter dei fiamus, neque ut sicut ipse ab omnibus adoremur, neque ut sicut ipse uniamur in filiatione naturali Verbi, sed ut ex parte in gratia filiationis eius communicemus, et « sicut induimus similitudinem eius qui e pulvere *fuit*, ita similitudinem eius qui de caelis *est*, induamus [3] ». Si ergo nos, cum similitudinem Adam induerimus, quia Adam servus et subiectus fuit, et ipsi necessarie similitudinem servi et subiecti induimus, et servi et subiecti facti sumus, sicut Adam

[1] II *Cor.*, III, 16-17. — [2] II *Cor.*, III, 18. — [3] I *Cor.*, XV, 49.

p. 224. *lae* ex rationalibus, omnino non sunt neque dicuntur *« servi », ut demonstratum est; et Christus in carne, qui Verbo unitus est, qui mortalitatem exuit et ad dexteram sicut filius in throno [1] sedet, servus erit et dicetur? Utique Ardašir rex, filius Pabeq, e semine Sassan servi veniebat: quid ex duobus? Utrum appellatione proprii imperii rex et dominator appellandus est, an forte, nomine Sassan patris eius, servus? Si ita est apud homines, quanto magis apud dominum et regem et Deum super omnia. Dominus enim appellatione suae hypostaseos, non autem servus propter naturam e qua sumptus est, vocandus est. Nonne ita dixit discipulis suis, quando humilitatem eos docebat et concludebat [2]: « Vos me magistrum nostrum et dominum nostrum vocatis, et bene dicitis; sum *enim* »? Nonne aperte Petro dixit, cum census a quibusdam peteretur: « Ergo liberi sunt filii »? [3] Et postquam Petro duos ordines enumeravit, unum filiorum regis, alterum alienorum et servorum, cui parti se adnumeravit: an illi servorum et subiectorum? Sed minime se illi adnumeravit, cum esset liber et filius: « Ergo liberi sunt filii ». Verumtamen cum ita sit, quia indutus hic est formam servi, et vestitus hic est vestimento subiecti, censum humiliter solvit is, cui, per quem et in quo omnes caelestes et terrestres tributum laudis offerunt. Audio et beatum Paulum ad Galatas scribentem et dicentem: [4] « Cum venisset finis temporis, misit Deus filium suum, et factus est ex mu-
p. 225. liere, et fuit *sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, et (ut) adoptionem filiorum acciperemus. Et cum sitis filii, misit Deus spiritum filii sui cordibus vestris clamantem: a b b a, pater noster. Ideo non estis servi, sed filii, et si filii, et haeredes Dei per Iesum Christum ». Missus est ergo a Deo et factus est ex muliere, non servus eius, sed filius eius; et quidem id non de Verbo, sed de homine Verbi dicit, sicut et pater noster Theodorus interpres explicat. Filium autem vocat eum secundum naturam, quia propter unionem inseparabilem, quam cum Deo Verbo, quod ex Patre est, sumpsit, adoptionem praestantius quam ceteri homines habuit. Galatae ergo in Christo a servitute iam liberati sunt, et non amplius servi, sed filii Dei

[1] « θρόνος ». — [2] IOHANN., XIII, 13. — [3] MATTH., XVII, 25. — [4] *Galat.*, IV, 4-7, secundum Pešiṭṭam.

vocavit. Ita sensu metaphorico et translato et secundum quid; attamen sensu stricto neque *vox* « creatus » congruit cum *voce* « servus », neque « servus » cum « creatus ». Ecce enim, si accurate perscrutaris, neque cum *voce* « vivus », neque cum *voce* « homo », unquam congruit vox « servus ». Non enim omnis vivus servus est, neque rursum omnis homo servus est. Sed quid haec dico? Neque enim nomina « dominus » et « servus », quae ad categoriam relationis pertinent, in omnibus sibi aequales invenimus. Quomodo? Omnis servus necessarie domini servus est, non autem omnis dominus omni casu servi dominus est. Est enim aliquis dominus agri, ager tamen non ancilla aut servus domini vocatur; et aliquis est dominus equi, equus tamen non dicitur servus domini, sed possessio aut quid aliud simile. Ergo neque apud Deum, neque apud nos voces servus et dominus in omnibus sibi congruunt et secum conveniunt. Creaturae enim recte dicuntur omnia, quae voluntate Dei e nihilo in existentiam venerunt: facta quidem, ea *quae ex p. 223.
elementis constituta sunt; servi autem, omnes qui libertatem, voluntatem et liberum arbitrium habent, qui possunt legislationem suscipere, eamque possunt observare aut non observare. Ita enim est accuratus usus nominum. Ideo et Deus dominus noster creator non factorum, sed creatorum, factor autem non creatorum, sed factorum, dominus vero neque creatorum, neque factorum, sed servorum dicitur, sicut et pater non creatorum, neque factorum, neque servorum, sed filiorum est et dicitur. Sin autem quis per modum usus Deum patrem servorum, dominum filiorum, creatorem factorum et factorem creatorum vocare vult, hic usus metaphoricus non necessario sensum strictum nominum solvit. Ita et apud Dominum nostrum et deum nostrum Iesum Christum voces servus et subiectus, despectus et passionibus *obnoxius*, percussus et multis doloribus *obnoxius*, maledictum et peccatum, lapis et porta, baculum et surculus, sol et stella, et si quae sunt alia huiusmodi nomina, metaphorice, usualiter et secundum quid, non autem accurate et proprie dicuntur. Si enim de tota creatione per Christum dominum nostrum nomen hoc servitutis auferendum erat, nonne maxime decet ut de Christo auferatur, qui, non ab eo quod est natura eius, sed ab eo quod est hypostasis eius, cognominandus est? Naturae quidem irrationales, et etiam quandoque *nonnul-*

viunt, quia voluntate et libertate privati sunt. His autem carent, quia rationalitatem non habent. Qui autem non rationalis est
p. 221. *quomodo filius aut servus vocabitur? Ergo non omnis creatus servus est et dicendus est. Neque enim domus, quam aliquis aedificat, ancilla eius dicitur, neque servus alicuius domus eius dicitur. Pariter et hic mundus generaliter creatura Dei dicitur, servus Dei non dicitur. E rationalibus ii quidem, qui propter timorem mandata eius servare student, servi vocantur, ii autem, qui non propter timorem, sed propter amorem Domini mandata eius servant, filii vocantur; ii autem, qui propter mercedem et retributionem, mercenarii nominantur. Irrationalia autem nullo modo servi Dei nominantur, sed eius creaturae, aut possessio, aut opera, nisi forte ea sensu latiore et translato quis ita vocet. « Levavi manus meas ad Deum excelsum cuius possessio sunt caeli et terra [1] »; non dixit « cuius servus ». Et: « Benedicite omnia opera Domini domino [2] ». Alius est enim usus translatus nominum, alius usus proprius et non translatus. Ita et beatus Theodorus magnus dicit: et animalia irrationalia cum angelis et hominibus « servos » nominavit, et similiter universalitatem creaturarum; et evidens est eum usu translato et secundum quid, non sensu stricto locutum esse. Quomodo? Si omnes creaturae in Adam iunctae sunt, Adam autem imago servi factus est, ergo et omnes creaturae [3] imago servi facti sunt. Evidens est et e contrario. Quomodo? Omnes creaturae secundum naturam in Adam iunctae erant. Atqui Adam, ante transgressionem mandati, dominus, rex et princeps fuit. Ergo creaturae, ante transgressionem mandati, dominatio-
p. 222. nis et regni Adam participes erant. Tamquam *membra enim cum capite creaturae omnes cum eo compatiebantur, sive in rebus honoris, sive in rebus contemptus. Et sicut in Christo domino nostro omnis creatura a servitute liberata est, ita et in Adamo primo omnis creatura servituti peccati et corruptionis subiecta est. Considerans ergo beatus Theodorus habitum virtutis et Adamum, in quo omnes creaturae naturaliter iunctae sunt, qui servituti Satanae et peccati subiectus est, angelos, et homines, et animalia irrationalia et omnes creaturas servos

[1] *Gen.*, XIV, 22. — [2] DAN., III, 57. — [3] Lege ܒܪܝܬܐ: codd. male ܒܢܝܢܫܐ « homines ».

neque decorem, eumque esse virum dolorum et noscentem passiones; et ipse rursus appellat eum vexatum et percussum. Vocabimus ergo Christum et honorabimus eum his nominibus, vocantes eum despectum, turpem, dolorosum, multis passionibus obnoxium, vexatum *a daemone* seu daemoniacum, sicut dixerunt Iudaei blasphemantes? Erimus et nos socii eorum, et dicemus ei [1]: « Cur, cum filius hominis sis, te facis Deum », cum servus sis, te facis dominum, et cum inter creaturas positus sis, te creatori et factori omnium aequalem facis? Haec autem, frater, impietatis et blasphemiae sunt. Multis enim huiusmodi *nominibus* Dominus noster appellatus est, cum de iure et de facto *id* non esset. Sicut enim vocatur maledictum et peccatum, cum *hoc* de iure non sit, et vocatur despectus et obsessus, cum ipse *lux mundi et persecutor daemoniorum, id non sit, ita et p. 220.
secundum opinionem Iudaicam servus vocatur, sive propter naturam communem, e qua sumptus est, sive propter servitutem Iudaeorum, qui tunc Romanis subiecti erant, sive propter observationem mandatorum legis, sive quia lavit pedes discipulorum, ut nos humilitatem doceret, sive quia propter nos voluntarie passionem crucis, mortem et sepulturam tulit, quae nos, tanquam servi, pati maxime digni eramus, sed non ille filius et dominus gloriae; ita igitur vocatur quidem servus, sed revera non est servus, ipse liberator omnium a maledicto et peccato; non enim servus est ille, quem Deus mundo in demonstrationem amoris sui dedit. « Ita [2] enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unicum daret ».

Servi enim *notio* cum *notione* creati non congruit, neque nomine, neque virtute nominis. Omnis enim servus creatus est, sed non omnis creatus servus est. Si enim omnis creatura servus esset, creatae autem sint naturae inanimatae, et elementa, et omnia animalia irrationalia: ergo et haec omnia servi Dei dicenda erunt. Quod si servi sunt, omni modo aut boni, aut mali sunt. Si boni, regnum haereditate obtinebunt, si autem mali, poenam aeternam. Et aqua, et ignis, et taurus, et equus, et asinus, et aquila, et accipiter, et columba, quia servi Dei sunt, singuli mercedem laborum suorum accipient. Atqui nullus eorum mercedem accipiet; non autem accipient, quia non serviunt. Non autem ser-

[1] Cf. Iohann., x, 33. — [2] Iohann., iii, 16.

invocabit me, pater meus es tu; et ego quoque faciam eum primogenitum et exaltabo eum super reges terrae »; et [1]: « Vos non male facietis »; et propter mysterium Filii, quod in mundo perficiendum erat, prophetae, sacerdotes et reges sicut stellae hunc *mundum* illustrarunt et illuminarunt; — et si posterioribus non solum nomen, sed spiritum adoptionis et libertatis largitus est, sicut in mysterio verba divina nos docent, — « Dedit [2] eis potestatem filios Dei fieri », et [3]: « Misit Deus in corda nostra spiritum filii sui, qui clamat abba, pater noster »; et [4]: « Qui in spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei; non enim accepistis spiritum servitutis in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus abba, pater noster. Et illud Spiritus testatur spiritui nostro, nos esse filios Dei, et si filii et haeredes Dei et cohaeredes Iesu Christi »; — si itaque prioribus, qui sub lege *vivebant,* nomen, typum et mysterium, posterioribus autem, qui sub evangelio, realitatem largitus est filiationis, libertatis et haereditatis regni caelorum, cum hos exuisset stola et nomine servitutis, quam acceperant per modum haereditatis ab Adamo patre eorum, ergo ipse solus ex omnibus servus esset et diceretur? Quomodo id fieri possit? Si Christus dominus noster servus est, est autem et pater fu-
p. 219. turi saeculi [5], omnis autem pater filios similes sibi *generat, ergo servi sunt ii, qui digni sunt illo saeculo et resurrectione ex mortuis. Sed dixit Dominus noster eos esse filios Dei, quia filii resurrectionis facti sunt. Atqui filiorum resurrectionis primus, pater, caput et primogenitus Christus dominus noster est. Ergo filius Dei, pater et dominus futuri saeculi et primogenitus ex mortuis Iesus Christus est et dicendus est. Pater eius quoque in monte Thabor et ad Iordanem filium eum esse testatus est [6]: « Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum habui ». Sin autem servus dicendus est, quia in carne creatus est, ergo, quia in carne creatus est, et e concubitu *ortus* erit? Sed quemadmodum est quidem creatus, sed non in ordine omnium infantium creatus est, ita etiam est creatus, sed non servus sicut ceteri creati. Qui enim dixit eum esse servum multorum [7], is etiam dixit eum esse despectum, non esse ei aspectum

[1] Cfr. *Ps.* CIV, 15 (Peš., CV). — [2] IOHANN., I, 12. — [3] *Gal.*, IV, 6. — [4] *Rom.*, VIII, 14-17. — [5] IS., IX, 6. — [6] MATTH., III, 17; XVII, 5. — [7] Cf. IS., LIII, 2 sqq.

dicitur Adam primus, et *etiam* omnes ex eo *orti*, sicut divus apostolus dixit [1]: « Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen — etsi lex eis posita non *erat, sicut iis, qui a Moyse usque p. 217.
ad Christum (fuerunt), — et in eos, qui non peccaverunt, in similitudinem transgressionis Adam, qui forma futuri est ». Id est: Et ii, quibus lex non imposita est, ab Adam usque ad Moysen, et ii, quibus lex imposita est, a Moyse usque ad Christum Dominum nostrum, omnes peccaverunt, etsi non in similitudinem transgressionis Adam. Et in omnes cucurrit servitus peccati, mortis et satanae, usque ad Christum dominum nostrum, qui vere et naturaliter imago et similitudo regni, dominationis et libertatis Dei est. « Quis [2] ex vobis arguet me de peccato? » Et [3]: « Venit princeps huius saeculi, et in me non invenit quidquam ». Et [4]: « Iniquitatem non fecit et non inventus est dolus in labiis eius ». Imaginem enim et similitudinem naturae et hypostaseos, quae Adamo ante peccatum infixae erant, Verbum utero virginis infigit. Non enim servo alicui et homini simplici Verbum unitum est; sed e membris virginis ipsum Verbum sibi imaginem praeclaram libertatis finxit, et ipsum pigmenta suae figurae in Spiritu sancto condidit. « Spiritus [5] sanctus veniet et virtus altissimi resquiescet super te. Ideo is, qui nascetur ex te, sanctus est, et filius Dei vocabitur ». Si homo Domini nostri de Spiritu sancto conceptus est, conceptio enim a Spiritu sancto esse invenitur, — *secundum illud:* [6] « Is, qui natus est in ea, de Spiritu sancto est », et: « Spiritus sanctus veniet », — Spiritus autem sanctitatis sanctus et sanctificans est, ergo homo Domini nostri, per Spiritum sanctum tamquam per mediatorem, sanctus simul et santificans est. Ergo servus non est. Et si prioribus nomen *filiationis et filiorum, regni p. 218.
et regum, propter figuram mysteriorum eius, quae in eis perficienda et repraesentanda erat, largitus est, — « Filius meus primogenitus meus Israel », et: « Mitte filium meum ut serviat mihi [7]; » et [8]: « Quia irritaverunt eum filii eius et filiae eius »; et [9]: « Ego dixi, dii estis et filii altissimi omnes »; et [10]: « Ipse

[1] *Rom.*, v, 14. — [2] Iohann., viii, 46. — [3] Iohann., xiv, 30. — [4] Is., liii, 9; I Petr., ii, 22. — [5] Luc., i, 35. — [6] Matth., i, 20. — [7] Ex., iv, 22, 23. — [8] *Deut.*, xxxii, 19. — [9] *Ps.* lxxxi, 6. — [10] *Ps.* lxxxviii, 27, 28.

servi mali. Dicit Dominus [1]: « Ait ei dominus eius: Intra in gaudium domini tui ». Et [2]: « Quando veniet filius hominis in gloria sua et omnes sancti angeli eius cum eo, tunc sedebit in throno gloriae suae, et congregabuntur coram eo omnes populi. Et separabit eos ab invicem, sicut pastor qui separat oves ab hoedis; et constituet oves ad dexteram, hoedos autem ad sinistram suam. Tunc dicet rex eis, qui ad dexteram sunt ». Consideremus, Dominum nostrum tria nomina de se docuisse: filium hominis, pastorem et regem. Si is, qui sedet in throno, homo Domini nostri est, ipse autem homo Domini nostri nos docet se regem et pastorem esse, ergo homo Domini nostri rex
p. 216. et pastor dicendus est, *non servus. « Venite [3], benedicti Patris mei ». Si servus ⌜dominum suum [4] non vocat patrem, Dominus autem noster Deum, dominum omnium, vocat patrem suum: ergo non servus, sed filius Christus Dominus noster est. Si Dominus noster Christus iustos in vitam aeternam, malos autem in poenam aeternam mittit, mittere autem in vitam aut poenam aeternam domino, non servo convenit: ergo et dominus noster Christus dominus est, non vero servus.

Adam quidem a Deo secundum naturam dominus, liber et rex factus est, sicut scriptura testatur dicens [5]: « Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram ». Hanc imaginem et similitudinem Deus explicat dicens: « Dominentur piscibus maris, et avibus caeli et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Si homo omnibus dominatur, is autem qui omnibus dominatur Deus est, ergo homo deus alter est, id est imago et similitudo Dei. Sed hae formae, sicut dixi, naturaliter in homine primo a Deo formatae sunt. Forma autem servitutis in eo non a Deo, sed a *propria* voluntate eius in eo formata et repraesentata est. Cum enim fidem dedisset verbis deceptoris, scilicet Deum ex invidia eum ab arbore arcuisse, et mandatum Dei transgressus esset et de arbore vetita edisset, tunc imaginem et similitudinem regni, dominationis et libertatis Dei sponte dimisit, diadema divinitatis, quod in capite suo effulgebat, abiecit, et servituti subiectionique peccati et satanae voluntarie se submisit; et abhinc servus factus esse

[1] Matth., xxv, 21. — [2] Matth., xxv, 31 sqq. — [3] Matth., xxv, 34. — [4] Lege, cum codd., ܠܡܪܝܗ. — [5] *Gen.*, i 26.

vocat. Ergo, sicut os eius vivificans nos docuit, filium et haeredem, non servum eum vocemus. Pariter et in alia parabola dixit [1]: « Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui fecit convivium filio suo. Et misit servos suos, ut vocarent invitatos ad convivium; et non venerunt. Et iterum misit alios servos et dixit: Ecce convivium meum paratum est. Et spreverunt et non venerunt; aut iverunt unusquisque secundum suam voluntatem. Ceteri autem tenuerunt servos eius, opprobriis affecerunt et interfecerunt ». Ecce et in hac parabola hominem Domini nostri filium dicit, cui convivium paratum est, ceteros prophetas et apostolos autem ubique servos, non filios vocat. Ergo filius, non servus, homo Domini nostri dicendus est. Ita enim de se in evangelio venerabili docuit. Rursum, Dominus noster pharisaeos interrogat et dicit eis [2]: « Quid dicitis de Christo; cuius filius est? Dicunt ei: Filius David. Dicit eis: Et quomodo David in spiritu eum dominum vocat? Dixit enim: Dixit Dominus domino meo, sede a dextris meis. Si ergo David eum Dominum vocat, quomodo filius eius est? » Si ergo *filius in carne dominus est, sicut David docuit et p. 215.
Dominus declaravit, nullus autem dominus servus est, ergo filius in carne non servus dicendus est, sed dominus est et dicendus est, etsi filius David est. Idipsum Dominus noster et in illa parabola nos docet [3]: « Quis est servus fidelis et sapiens, quem constituit dominus super familiam suam? » Se ipsum enim dominum, non autem servum, et apostolos servos, non autem filios vocat. Pariter docet nos et in parabola de decem virginibus [4]: « Domine, domine, aperi nobis ». In parabola quoque de distributione talentorum [5] se ipsum dominum, apostolos autem suos et nuntios suos servos vocat. « Venit dominus horum servorum ». Et dum unusquisque horum trium talenta sua offert, dominum suum eum, qui dederat, communiter appellat. Et si Christus dominus noster dominus [6] est, nullus autem dominus servus est, ergo neque Christus dominus noster servus dicendus est. Christus enim dominus noster seipsum dominum uniuscuiusque eorum vocat, tum servorum illorum bonorum, tum

[1] Matth., xxii, 2 sqq. — [2] Matth., xxii, 42-45. — [3] Matth., xxiv, 45. — [4] Matth., xxv, 1. — [5] Matth., xxv, 14 sqq. — [6] In codd., manifesto lapsu: « servus ».

das elevaturus est, malos autem in abyssum profundam detrusurus et custoditurus est, is ergo, qui haec omnia et similia faciet et est quoque caput, dominus et Deus super omnia, is qui dixit [1]: « Vivo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu et me confitebitur omnis lingua », is cuius exaltationem Deus magnam fecit et ei nomen dedit, quod praestantius omnibus nominibus est, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, quod in caelo, in terra et sub terra, et omnis lingua confiteatur, Iesum Christum dominum esse in gloriam Dei Patris [2]; is ergo, qui in omnibus his figuris Dei repraesentatur, vere et accurate Dei imago et similitudo est. Nunquam enim homo sic apparuit, ne ictu quidem et motu omni mente celeriore, spoliatus, privatus et remotus a filiatione naturali Verbi, et a dominatione, et a maiestate, et a divinitate, et a regno eius, ut propterea eum quis appellet aut faciat subiectum et servum. *Vox* enim « servus » alienum significat; « filius » autem familiarem. Servus non est haeres; filius autem haeres est facultatum patris. Et si filius in carne haeres omnium constitutus est, haeres autem omnium servus non est, ergo filius in carne non est servus. Si enim servus esset, haeres omnium Patris non esset. Et si haeres omnium Patris est, servus non est. Si enim filius est, necessarie et haeres est. Si haeres est, necessarie et filius est. Filium autem et haeredem esse, ipse de se testatur dum docet et dicit [3]: « Homo quidam erat pater familias. Et plantaverat vineam, et paullo post locavit eam operariis et abiit.
p. 214. Cum autem *venisset tempus fructuum, misit servos suos ad operarios, ut mitterent ipsi de fructibus vineae eius. Et comprehenderunt operarii servos eius et alium ceciderunt, alium lapidaverunt, alium interfecerunt. Iterum misit alios servos, et similiter fecerunt eis. Postremum, misit ad eos filium suum dicens: forsitan coram filio meo verecundiam habebunt. Operarii autem, cum filium viderent, dixerunt inter se: Hic est haeres; venite, occidamus eum, et haereditas nostra erit. Et comprehendentes eduxerunt eum extra vineam et occiderunt eum ». Videsne, o domine Deum amans, eum ubique humanitatem Filii filium aut haeredem nominare, prophetas autem omnes servos dicere. Nusquam se ipsum servum, aut prophetas filios

[1] *Rom.*, XIV, 11. — [2] *Phil.*, II, 9. — [3] MATTH., XXI, 33 sqq.

factus est in imagine et similitudine hominis, cum sumeret sibi templum purum e virgine pura et uniretur purus puro ex pura divinitus. Aut, si accuratiore modo loquendum est, quod in initio dictum fuit [1]: « Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram » ad Adam et de Adamo typice et metaphorice dictum fuit, apud Dominum nostrum et in Domino nostro vere, proprie *et archetypice fit et apparet. p. 212.
Dominus enim noster Iesus Christus radius gloriae Patris et imago hypostaseos eius, ipse est imago Dei invisibilis naturaliter simul et unitive. Naturaliter propter Verbum ei connaturale; unitive propter carnem nostri generis, quae in omnibus una est cum Verbo, quod eam induit, praeter praedicata substantialia et constitutiva, quae nobis clare similitudinem illam divinam et illam humanam repraesentant et effingunt. Adam autem per creationem et per complexionem creaturae, quae in eo erat, Dei imago est et dicitur; per unionem autem imaginis connaturalis Patri et per potestatem Deo competentem, quae ei data est, minime est et dicitur imago Dei. Naturaliter autem et unitive Dei imago et similitudo Iesus Christus est. Hoc testantur verba angeli ad Mariam et prophetia Danielis. « Hic enim, ait, magnus erit, et filius altissimi vocabitur, et dabit ei dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit super domum Iacob in aeternum; et regni eius non erit finis » [2]. Et Daniel dicit [3]: « Videbam super nubes caeli tamquam filium hominis venientem. Et adduxerunt eum coram antiquo dierum. Et ipsi dedit potestatem et honorem, ut omnes populi terrae ei servirent. Potestas eius *est* potestas aeternitatis, et regnum eius non praeteribit, neque solvetur ». Et ipse Dominus noster dixit [4]: « Omne, quod Patris mei est, meum est ». Et [5]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Et [6]: « Qui videt me, videt Patrem ». Et [7]: « Pater neminem iudicat, sed omne iudicium Filio tradidit ». Ergo is, qui vere Filius est in unione sua cum Verbo, et is, qui rex est, cuius regnum non praeterit, et is, qui omnia resurgere et vivere facturus est, et is, qui in throno *magno gloriae suae regali et divino modo p. 213.
regnat et sedet, et is, qui bonos in altitudinem in nubes luci-

[1] *Gen.*, I, 26. — [2] Luc., I, 32. — [3] Dan. VII, 13, 14. — [4] Iohann., XVI, 15. — [5] Matth., XXVIII, 18. — [6] Iohann., XIV, 9. — [7] Iohann., V, 22.

neratione, sine Filio, ne nobis similis sit: quod impiissimum est? aut si dicendus est videns, audiens, sciens, habens verbum et rationem, habens spiritum et spirationem, non quidem sicut nos nec nostro modo, dicatur etiam generans et producens, non tamen sicut nos nec nostro modo. Si itaque sordes corporales effugere vis, sordes autem et aerugo corporales apud Deum nullae sunt; noli ergo timere, ubi timor non est. Si igitur Deus multis nominibus nostris nominatur, sicut demonstratum est, sordes tamen nostrae eum omnino non attingunt, ergo nec cum nominibus Patris, Filii et Spiritus vocatur, eum sordes *humanae* et aerugo corporalis attingunt. Nomina hypostases significantia confitere. Divina enim sunt, et prophetae et apostoli de eis docent. Quis est ille, qui descendit de caelo et in caelum elevatus est, et in revelatione
p. 211. sua divina *et in ascensione sua . . . [1]. Aeruginem autem corporalem et sordes fuge, per illud « non sicut nos ». Sin autem et ipsa nomina fugis, manifestum est, te a scriptura seu potius a Spiritu, qui eam scripsit, fugere, et adversus illum magis quam adversus nos dimicare. Unus est ergo nobis Deus aeternus, qui in tribus personis adoratur et glorificatur.

Deinde confitemur, filium Dei e virgine sancta filium hominis factum esse, sicut Iohannes evangelista dicit [2]: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ». Ideo dicit « caro », non homo, « factum est », ut intelligamus unionem Verbi cum carne a primo motu existentiae eius, non autem in perfectione corporis et animae factam esse. ⌊Quidam⌋[3] enim impie agunt, dicentes Verbum non unitum esse, nisi postquam anima et corpus perfecta sunt: ut autem hanc blasphemiam vitaremus, dicit: « Verbum caro factum est ». In principio enim homo factus est in similitudinem et in imaginem Dei, et constitutus est rex, gubernator et dominus super omnia caelestia et terrena. Sed non prosperavit in existentia, neque in dominatione et gubernatione sua profecit. Dominationem enim et gubernationem suam in servitutem Satanae mutavit, similitudinem vero et imaginem Dei in formam imaginis servi rebellis. Iam autem non homo fuit imago et similitudo Dei; sed Verbum et filius Dei

[1] Lacuna aliquot vocum. — [2] IOHANN., I, 14. — [3] Lacuna unius aut duarum vocum in codd.

ctus non naturae, sed voluntatis eius sunt. Sicut urbs regia et filius regis, ita Filius Spiritusque et creaturae. Filius regis fructus naturae regis, urbs regia autem fructus voluntatis regis est; Filius et Spiritus fructus naturae aeternae entis, crea-
5 turae autem fructus voluntatis eius sunt. Et sicut *urbs regia p. 209.
naturae regis nihil addit aut detrahit, ita et creatura visibilis et invisibilis nihil addit aut minuit naturae entis. Et sicut si filius regis nascatur, regi et mundo valde prodest, quia ectypum vivum personae, regni et coronae eius est, si autem non nasca-
10 tur, detrimentum magnum est, quia res naturae, regni et gloriae eius sine exemplari rationali manent, ita Verbum et Spiritus sanctus ectypa lucida et consubstantialia hypostaseos, regni, infinitatis entis sunt, et eius bonitatis et naturae, et omnium quae eius sunt, sine initio et sine fine, supra tempora. Et sicut is, qui soli
15 lucem et vim calefaciendi, animae rationem et mentem detrahit, illum, id est solem, facit ut non sit sol: quod enim nec lucidum nec calidum est, non est sol; illam vero, id est animam, facit ut non sit anima: quomodo enim esset anima sine mente et sine ratione? ita et is, qui enti Verbum et Spiritum detrahit,
20 facit ut non sit ens Deus. Quomodo enim Deus esset, qui sine Verbo et Spiritu est? Sin autem quidam a nomine Filii et geniti abhorrent, *timentes* ne, cum Deus filium haberet, esset sicut nos, abhorreant ergo et dicere Deo Verbum et Spiritum esse, ne Deus nobis assimiletur. Nobis enim quoque verbum et spi-
25 ritus sunt. Sin autem Deo Verbum et Spiritus sunt, non autem sicut nobis, et tamen nobis, eo quod Verbum et Spiritus ei sunt, non assimilatur; ergo et Filius et genitus ei esse potest, non autem sicut nobis, sed sicut Deum decet. Nec timendum quin nobis aequalis sit, cum filium habeat. Sicut enim *Deus videt, p. 210.
30 non autem sicut nos, et audit, et scit et operatur, non autem sicut nos, et bonus est et sapiens et ens, non autem sicut nos et modo nostro; ita etiam Filium et Spiritum generat et producit, non autem sicut nos; sed generat et producit aeternaliter sicut Deus, nos autem temporaliter sicut homines; ipse
35 quidem sine concubitu et sine adiutorio alicuius: Deus enim omnipotens est, nos vero per commixtionem et concubitum cum muliere, et saepe spe frustramur, quia non in omnibus potentes sumus. Quid ergo? Num dicemus Deum sine Verbo, sine Spiritu, sine visu, sine auditu, sine operatione, sine ge-

tia enim eius ipsa et viva et rationalis est. ⌜Ut [1] vivus quidem, et spiritus est et habet procedentem aeternaliter; ut rationalis, habet Verbum genitum sine tempore; non enim per modum compositionis hos possidet: nam incomposita est et simplex natura Dei; neque facultates non subsistentes et non hypostaticae sunt in eo, sicut albedo in nive, verbum in anima. Non enim receptiva accidentium est natura Dei, sed id est quod est vivum, rationale, bonum, pulcrum, et quaecumque forma quam quis recitabit. Et si ens vivum quidem est, omnis autem vivus spiritus est et *spiritum* habet; ergo ens spiritus est ⌜et *spiritum* habet [2] *Deus*: non quidem tamquam possessionem, sed tamquam substantiam aut tanquam consubstantialem. Et si per
p. 208. essentiam suam est *ens rationale, omnis autem rationalis et verbalis est et verbum habet, ergo ens et verbale est et verbum habet: non quidem accidentaliter, sed substantialiter: non quidem per compositionem, sed simpliciter. Si ens non sine verbo *est*, quomodo non rationale *est* id quod entis est? Et si ens non sine spiritu est, quomodo non vivum *est* id quod entis est? Sin autem ens sine verbo est, quomodo omnino rationale [3] *praedicabitur?* Et si ens sine spiritu est, quomodo perfecte vivum, aut vitae dator aut verbi largitor praedicabitur? Si fons quidem verbi et origo vitae est substantialiter, Verbum autem et Spiritus non sunt hypostatice, ergo ens non est hypostatice spiritus, vita, verbum. Sed si ens est, et natura et hypostasi, vita, verbum et spiritus; atqui ex ente naturaliter et essentialiter *sunt* Verbum et Spiritus: ergo Verbum et Spiritus hypostatice subsistunt. Pariter res se habet erga bonum et pulcrum. Verbum enim et Spiritus ectypa consubstantialia archetypi sunt. Si igitur Verbum et vita in tempore *sunt*, in tempore etiam esse *ens* verbo praeditum et vivum omnimodo necesse est; et si *ens* verbo praeditum et vivum sine tempore est, sine tempore etiam est Verbum et Spiritus eius.

Haec est nobis una Trinitas, quae unus Deus est et confitenda est, in tribus personis praeclaris et adorandis. Filius enim et Spiritus fructus naturae Patris sunt. Creaturae autem fru-

[1] Pro ܐ, legendum videtur ܐܝܟ. — [2] In textu, v. 28, lege ܠܐ. — [3] Voces « aut verbi largitor », hic, e versu sequenti, restituendae videntur.

conversationibus magnae scientiae tuae versor, sive prioribus, sive posterioribus, et video te, non leviter tantum et obiter, sed accurate scrutantem et investigantem, *in scripturis versari, p. 206.
et sensus magis quam corporis *litterae* studium habere, quod
5 paucis tantum et raro accidit: de his simul *epistulis* et de prioribus gaudeo et laetor. Et confiteor Deo, sicut dixi, quod temporibus privatis et orbatis fructibus scientiae, et divitibus tantum thesauris stultitiae, inveniatur nobis uva iucunda sapientiae et fructus maturus dulcissimus scientiae. Magis adhuc
10 gaudeo de humilitate et demissione, quibus ornatus es, cum scientia et sapientia quas possides. Nihil enim aliud quam donum gratiae divinae est, si quis scientia et sapientia ornatus simul demissus et humilis est. Et quanquam sufficienter a Domino divitias scientiae accepisti, quod multi et epistulae tuae mihi
15 *scriptae* testantur et monstrant, tamen castitati tuae brevissime scribam, quia intelligentia tua me rogavit, ut amore scientiae scriberem de quaestione, quae inter vos orta est. Scripsi enim secundum mandatum tuum toti communitati verbis longioribus [1]. Tibi autem, quia ex paucis multa eruere potes,
20 hac de causa paucis potius quam multis scribimus. Et hinc sit initium.

Nos christiani, o frater noster, in unum Deum credimus, quem ens simul et aeternum esse cognoscimus; per « ens » essentiam eius, per « aeternum » perpetuam existentiam sub-
25 stantiae eius significamus. Hoc ipse nobis communicavit cum ad Moysen prophetam diceret: « Ego sum, qui est » [2] ā h y h ā š r (ā) h y h [3], id est ens quod est. *Hoc dicit absolute, non cum p. 207.
aliqua enuntiatione temporis, veluti fuit, aut esset, aut erit. Illud erit, erat, et similia, quae magis creaturis congruunt quam ipsi,
30 qui non est creatus, non commemorantur. Hoc autem « est », solum commemoratur, sine ullo addito. Is enim, qui aeternus est, est quia est, non quia fuit aut futurus est. Is autem, qui aeternus non est sed temporalis, est quia fuit aut futurus est, non quia est; aut potius quia creatus est, non quia est. Deinde scimus,
35 *Deum*, praeter id, quod sit ens et aeternus, vivum simul et rationalem esse, et utrumque essentialiter et substantialiter. Substan-

[1] Scil. in epistula praecedenti. — [2] *Exod.*, III, 14. — [3] Transcriptio hebraicarum litterarum אהיה אשר אהיה.

et moribus praeclaris virtutum. His enim potestis aquirere regnum caelorum, ad quod vocati estis, pro quo passi estis et patimini, operibus simul et verbis, a domesticis simul et externis. Non enim in vanum evangelium Christi domini nostri vobis annuntiatum est, neque frustra [1] in eo positi estis, sed per virtutes, per signa et per miracula. Recordamini praeconum regni caelorum, quorum ope ad hoc vocati estis, imprimis autem magni summi sacerdotis, Iesu Christi, qui se ipsum in carne pro vita vestra in mortem crucis tradidit, et surrexit, et ascendit in caelum, et sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est, quando ponendi sunt omnes inimici eius scabellum sub pedibus eius, et mors, ultimus inimicus, destruenda est. Tunc veniet homo secundus, Dominus de caelo, non servus, non de terra, sed Deus magnus, vivificator noster, Iesus Christus, qui
p. 205. *reformabit [2] corpus humilitatis nostrae, ut sit aequale corpori gloriae ipsius: cum ipso et per ipsum detur nobis omnibus laetari in domo regni eius in saeculum saeculorum. Amen.

XXXV. — Eiusdem ad Nasr fidelem: Quod Christus non sit servus.

Fideli simul et docto, perscrutatori et investigatori sententiarum Spiritus sancti, domino meo, Mār Naṣr, investigatori verborum scripturarum: Timotheus peccator, minimus servorum domini nostri Iesu Christi, Dei super omnia, castitatem tuam veneratur et orationem *tuam* quaerit.

Non tanto gaudio stellae splendore suo eos afficiunt, qui in tenebris nocturnis versantur, aut eos, qui mari naufragium patiuntur, neque, si placet, panes praestantissimi esurientes, aut aquae frigidissimae sitientes, quanto gaudio nos affecerunt et afficiunt conversationes tuae eloquentes et plenae intelligentia. Ad gaudium enim et confessionem Dei me vocat, quod, his temporibus plenis tenebrarum stultitiae, quibus paene omnes dormiunt et sopiuntur *incuria* coram amore scientiae, et omnes ad amorem et possessionem rerum caducarum se inclinant, aliquis inveniatur, qui aliquomodo radiis sapientiae splendet et splendoribus praeclaris scientiae spiritalis fulget. Cum ergo

[1] « εἰκῇ ». — [2] *Philip.*, III, 21.

auro aurum solveret, pro sanguine autem daret proprium sanguinem, alterius loco, creditori, inquam, et vindictam postulanti: ita etiam Filius Dei pro nobis fecit. Nos enim innumera talenta debitorum creatori nostro debebamus et rei mortis eramus, propter mala et peccata nostra. Debiles autem et aegroti eramus ad retribuendum. Filius autem Dei accepit pro nobis utrumque: et retributionem debiti Deo et mortem pro nobis. Servus sane et subiectus non est ille, qui utrumque solvit, sed is, qui debebat et defraudavit dominum suum. Is autem, qui retribuit, dominus et liber et philanthropus est.

Haec itaque, fratres carissimi, longiora sunt pro ordine epistulae, sed breviora pro fine quem res postulat. Haud parva enim blasphemia est, filium Dei servum dicere. Paulus enim apostolus in epistula, quam scripsit ad Hebraeos, quia magnitudinem gloriae Filii propter incarnationem eius despiciebant eumque sicut Moysen et alios prophetas aestimabant, eum non solum cum Moyse et prophetis, sed vel cum angelis caeli aequiparare noluit, dicens [1]: « Cui angelorum Deus unquam dixit: Sede ad dexteram meam? » et unam eandemque operationem et virtutem monstrat humanitatis Domini nostri et eius divinitatis. Monstrat etiam gloriam humanitatis et deificationem eius per illud [2]: « Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi. Virga extensa virga regni tui », et per illud [3]: « Tu a principio posuisti fundamenta terrae, et caeli sunt opus manuum tuarum ». Res divinitatis *et humanitatis indiscriminatim sociat, ne quis p. 204.
putet in uno filio Dei servum et dominum *esse*. Vos autem, carissimi, avertite vos a verbis blasphemiae in filium Dei. Recordamini semper et in omnibus verborum Iohannis praeconis dicentis [4]: « Qui non honorat Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum »; et [5]: « Qui non honorat filium, neque honorat Patrem, qui misit eum ». Hoc ipse Dominus et salvator noster de se ipso dicit. Cavete a verbis vanis et obiectionibus scientiae falsae, quibus nonnulli decepti sunt, et veritatem Dei in mendacium mutaverunt, lumen futurum in tenebras praesentes et in errorem. Roborate manus vestras fide veritatis, quae ab apostolis sanctis apud vos tradita est,

[1] *Heb.*, I, 13. — [2] *Heb.*, I. 8. — [3] *Heb.*, I, 10. — [4] IOHANN., III, 36. — [5] IOHANN., V, 23.

divina scriptura, imago Christi, non adorarunt, rebelles, ut dicis, et rei facti sunt, quanto magis tu reus es, qui Deum in veste corporis tui non adoras. Et si apparuit Deus primum Adamo, postea Abrahae, Isaac, Iacob, Moysi, Isaiae, Ezechieli, Danieli et omnibus prophetis in imagine humana, et tamen Deum non appellarunt servum, eo quod apparuit *eis* in forma humana, neque rursum formam humanam, in qua revelatus est Deus, quis unquam ausus est « servum » appellare et nominare: — sed humiliabatur quidem Deus in forma humana, in sua revelatione; exaltabatur autem forma hominis per revelationem Dei in ea *factam*: — nunc quoque, cum Deus naturam tuam induerit
p. 202. et tibi in carne generis tui se revelaverit, *ne audeas, nomine servitutis et servi proterve designare sive Deum invisibilem, qui in natura tua tibi apparuit, sive hypostasim humanitatis tuae, in qua Deus tibi revelatus est. Time audaciam et declina ab arrogantia. Si enim vestimenta et indumenta sacerdotum et regum tamquam ipsos sacerdotes et reges amplectimur, et si pelles animalium et tabulas ligneas, *quibus* evangelium *ligatum est*, et materiam ligni, auri aut aeris, in quibus signum crucis impressum est, tamquam ipsam hypostasim adorandam Domini adoramus et amplectimur: quanto magis imago humanitatis Domini nostri sicut hypostasis divinitatis eius nobis adoranda et amplectenda est, propter Verbum, Deum, quod ea indutum et involutum est. Si enim, sicut dicis, homo Domini nostri servus est, omnis autem servus indigentiam domini sui explet: ergo homo Domini nostri indigentiam Dei explet. Videsne, o admirande, *te* Filium et Patrem blasphemare? Sin autem homo Domini nostri indigentiam Dei non explet: Deus enim non indiget; omnis autem servus indigentiam domini sui explet; ergo homo Domini nostri non est servus. Si autem non est servus, ergo liber est. Omnem igitur observantiam legum, baptisma, ieiunium, orationem, passionem, lacrimas, mortem, sepulturam et cetera omnia huiusmodi, partim ad instructionem tuam, partim ad redemptionem tuam in se tulit Filius Dei in carne. Quemadmodum enim, si vir quicumque debitor esset maximae summae auri et simul reus esset mortis,
p. 203. et *caperetur a creditore vindictam postulante, postea autem veniret homo dives philanthropia et misericors, et in se utrumque sumeret, retributionem pecuniae simul et sanguinis, et pro

Dei, neque terra ancilla Dei. *Ita neque cetera elementa [1]. p. 200.
Pariter, neque equus, neque camelus servi Dei dicuntur. Creaturae et opera quidem Dei dicuntur aer, aqua, ignis, terra, equus, taurus, asinus, item et volucres caeli et pisces maris: servi autem Dei non dicuntur. Neque enim per voluntatem eorum, neque praeter voluntatem eorum dicuntur esse id quod sunt, sed Dei creatura et opera dicuntur. Pariter et apud nos homines, domus quidem aut ager ⌜non dicuntur servi [2]; servus autem non vocatur domus aut ager. Haec ita distinguenda sunt. In qua parte hominem domini nostri ponere vis? Cum eis, qui non servi, sed creaturae et opera Dei dicuntur, an cum eis, qui servi et subiecti dicuntur? Si in ordine priore, non solum dominationem et servitutem, sed etiam vitam et rationem amittit, quod impium est. Si autem in posteriore ordine, rursum quid ex duobus? Utrum in ordine servorum bonorum, an malorum? Si quidem malorum: nec fuit nec ita vocatus est, sicut demonstratum est. Si autem bonorum: rursum, quid ex duobus? Utrum cum eis qui voluntarie, an cum eis qui coacte servierunt? Si cum eis qui coacte servierunt, aut ab egestate: deficit et a laboribus simul et a concupiscentiis et..... [3] [Si autem cum eis] qui voluntarie servierunt; rursum, quid ex duobus? Utrum sicut omnes, qui tempore libertatis et liberi *arbitrii servierunt, an ab initio suae formationis in utero? Si p. 201.
sicut omnes: quomodo servus dicatur, cum non haberet adhuc sui arbitrium? Et si tunc non erat servus, quomodo non liber domino libertatis, aut quomodo non oboediens domino, et imago plasmatori unione adhaesit? Si non sicut omnes, sed initio existentiae in Verbo serviit, quomodo eum qui non est [sicut] omnes homines, sicut omnes servum esse dicis? Et quomodo, cum ex ventre et ex utero liberum arbitrium et scientiam haberet, et bonum eligeret, malum autem reprobaret, et antequam patrem et matrem appellare valeret, potestatem divinam ostendebat radiis scientiae et fulgoribus rationis, secundum sermonem tuum [4], servum eum nominas et dicis? Adora, o homo, dominum tuum in purpura humanitatis tuae. Si enim ex angelis ii, qui secundum verbum tuum [5], Adamum, cum esset, docente

[1] « στοιχεῖα ». — [2] Sensus postulat « dicuntur opera ». — [3] Lacuna in textu. — [4] Cf. *Coran.*, sur. III, 43. — [5] *Coran.*, sur. VII, 10; XV, 28; etc.

Si Iesus mandato suo mortuos resuscitabat; is autem, cuius mandato mortui resuscitantur, ipse creator est; qui autem creator est, et Deus secundum naturam est; ergo Iesus Deus, secundum naturam carne indutus, est. Quomodo ergo servus est? [1]

Si autem ideo, quia corpus eius creatum est, servus necessario est, age, disceptemus aliquid breviter inter nos. Omnis servus creatus est: protasis vera et irrefragabilis est. Omnis creatus servus est: haec protasis neque vera neque necessaria est. Rursum, per modum apophasis: non omnis servus creatus est, et nullus servus creatus est; utrumque falsum est. Protasis: non omnis creatus servus est, vera est; haec: ⌜nullus servus
p. 199. creatus est [2], falsa est. Illud enim « servus » includit *passionem voluntatis; sive enim necessitate ducatur, sive se humiliet et inclinet voluntas, passionem servitutis perficit et absolvit. Id autem « creatus » modum existentiae demonstrat. Ad servitutem seu servum pertinet omnino subiectio erga alium; ad creatum et creationem, modus qui depingit existentiam, utrum sit creata an increata. Ergo vox « creatus » generalis est; demonstrat enim productionem ex nihilo ad existentiam totius creaturae a creatore. Illa autem « servus » possessionem et modum familiaritatis demonstrat: quae aut voluntaria, aut coacta est. Si igitur servitus aut voluntaria aut coacta est; voluntas autem et coactio apud vivos et rationales est: ergo et appellatio haec « servitutis » ad rationales quidem proprie, ad irrationales autem metaphorice pertinet. Igitur ex virtutibus caelestibus, qui dominum suum dilexerunt, servi boni, qui autem a domino se averterunt, servi mali dicuntur. Pariter et ex hominibus ii, qui mandata domini servaverunt, servi boni, contemptores autem servi mali dicuntur. « Ecce in servis suis non fidelis *est*, et in angelos suos ponet stuporem », dicit Iob [3]. Et « vos estis testes et servi mei, quos elegi », dicit Dominus [4]. Et sic de rationalibus. De irrationalibus autem neque obedientia, neque rebellio praedicatur. Sicut enim naturaliter constituta sunt, ita semper immutata manent. Non enim appropinquare, aut recedere eorum est. Exempli gratia: Sol non sponte lucet, neque luna voluntarie mutatur. Non dicuntur caeli servi

[1] Haec argumentatio adversus sententiam coranicam (sur. XIX, 31) prolata videtur. — [2] Fortasse mutandum: « nullus creatus servus est » (?). — [3] Iob., IV, 18. — [4] Is., XLIII, 10.

ritu erat: is autem, qui sine verbo est, non rationalis est, et is qui sine spiritu est, non vivit; ergo Deus non rationalis, non vivus, immobilis aliquando fuit? Quomodo ergo Deus est, si nec rationalis, nec vivus est. Si autem non fuit quando Deus
5 sine Verbo et sine Spiritu erat, is autem *de quo dicitur* non fuit quando non erat, aeternus est: ergo Verbum et Spiritus aeternaliter sunt cum Patre. Ille autem, qui sine verbo et sine spiritu non est, rationalis et vivus est; omnis enim rationalis verbo et omnis vivus spiritu est rationalis et vivus; ergo Deus
10 naturaliter ⌜et hypostatice [1] possidet Verbum et Spiritum: Si autem ita est: quid ex duobus? Verbum et Spiritus, quod habebat *Deus* naturaliter et aeternaliter, illud est, quod missum est ad Mariam et ortum est ex ea virginaliter, indutum flore humanitatis, aut Verbum et Spiritus aliud est illud et aliud hoc?
15 Quod si aliud et aliud, ecce multitudo Verborum et Spirituum, quae non exstat, et quam neque natura neque scriptura testatur. Sin autem aliud Verbum et Spiritus non est, sed divinum et aeternum illud est, quod corpore nostri generis indutum e virgine germinavit, quod etiam loquebatur, ut aiunt, in puero unius
20 diei, et contra adversarios apologiam faciebat pro virgine [2], ex qua carnale et corporeum factum est; atqui Iesus non quid aliud *ab illo est: ergo et Iesus aeternus est, etsi vestitus est flore p. 198.
humanitatis tibi connaturali. Rursum, si Iesus aves e limo creabat, eisque spiritum inflabat; atqui creare e limo et inflare spi-
25 ritum vitae Dei est; ergo Iesus proprietatem divinam possidet. Qui autem proprietatem speciei possidet, necessarie et *ipsam* speciem possidet. Iesus proprietatem Dei possidet. Qui autem proprietatem ⌜Dei [3], etiam naturam possidet. Iesus ergo naturam quoque Dei possidet. Deus quidem Adam e pulvere formavit eiusque vultui halitum vitae inflavit; Iesus vero e limo
30 aves creavit eisque spiritum inflavit [4]. Intellige, o *vir* sapiens, eum qui in principio Adamum pulverem de terra creavit, eiusque vultui halitum vitae inflavit, eundem esse qui aves e limo creavit eisque spiritum vitae inflavit. Si tamen concedimus quod dictum est aliquomodo factum esse; quod autem sequitur [5] verum est:

[1] Videtur legendum ܡܬܩܢܘܡܝܐ « aeternaliter » (cf. l. 20). — [2] Cf. *Coran.*, sur. XIX, 28 sqq. — [3] Vox ܐܠܗܐ hic delenda videtur. — [4] Cf. *Evangelium infantiae*, cap. XXXVI; *Coran.*, sur. III, 43; V, 110. — [5] Alludit rursum ad textum coranicum, sur. III, 43.

quod elevavit et elevabit Deus multos ex angelis et hominibus qui *exaltatione* digni sunt; ad seipsum autem stricte et peculiariter dixit, se exaltaturum esse solum Iesum. Sed septem caeli apud eos dicuntur. Quid autem? Estne Deus in his septem caelis, an in uno eorum altissimo et elevato? An forte tamquam infinitus in omnibus et extra omnes non continetur? Et si Deus in his septem caelis est, Iesu autem dicit: « Elevo te ad me », ergo patet Christum in his septem caelis apud Deum esse. Non enim potest Deus mentiri dicens: « Elevo te ad me ». Et hoc « ad me » adhaesio est inseparabilis, si-
p. 196. cut radii cum sphaera et verbi cum anima. Si Iesus *apud Deum est quasi per significationem sublimis honoris. Deus autem in septem caelis est, ergo et Iesus cum Deo et apud Deum et sicut Deus in septem caelis est. Si enim dixisset *tantum*: « Elevo te », et non addidisset illud « ad me », diceremus, eum Iesum in unum horum caelorum inferiorum elevasse, sicut Eliam sustulit, aut sicut angeli caeli dicuntur *exaltati*. Nunc autem, cum addiderit illud: « ad me », evidens est, nobis datum esse ut necessario intelligamus, eum cum Deo in septem caelis esse. Si autem non in septem caelis, sed in altissimo eorum Deus est, *Deus* Iesu autem dicit, se eum ad se elevaturum, patet et Iesum apud Deum in omnium altissimo et elevatissimo caelo esse. Sin autem cum Deo et apud Deum in throno omnium altissimo et elevatissimo est, quomodo ergo servus esse dicitur? Sin autem tertio dicunt, Deum tamquam infinitum in omnibus et extra omnia pariter esse, Iesu autem promisit, se eum ad se elevaturum esse; ergo eum in honorem immensitatis et dominationis suae elevavit. Deus enim nullo modo mentiri potest. Sin autem Iesus ad honorem immensitatis, dominationis et regni Dei elevatus est, is autem, qui talibus honoribus co-
ronatur, servus non est, ergo neque Iesus Christus servus est. Fulget enim radiis naturae sublimis Dei et splendet splendore simul et gloria magnitudinis regni eius. Rursum, si Iesus Verbum et Spiritus Dei est, Deus autem aeternus et supra tempus est, ergo Iesus aeternus et supra tempus est. Si autem dicunt, Deum
p. 197. quidem aeternum esse, Iesum autem infra *tempus esse, eos interrogabimus: Fuitne aliquando, quando Deus aeternaliter erat sine Verbo et sine Spiritu, necne? Quidnam ex duobus? Si aliquando erat, quando Deus sine Verbo et sine Spi-

mihi dixeris: « Videt quidem Deus, sed non ut homo; audit quidem *et scit et operatur Deus, non autem sicut homo compositus et passibilis. Quid Deum arceat? » ego quoque tibi dicam: Deus quidem generat, o *vir* optime, sed non sicut homo valde passibilis et compositus. Sicut Deus omnia facit, sed non manibus sicut homo, et omnia accurate videt, sed non oculis corporeis sicut homo, ita et Filium aeternaliter genuit, non autem corporaliter sicut homo. Si concedis Deum videre et audire, non autem sicut hominem et corpora, cur non concedis eum generare, non autem sicut hominem et corpora? Si generando sicut corpora generaret, ergo et videndo et audiendo sicut corpora videret et audiret. Sin autem videt et audit non sicut corpora et homines, ergo et generat, sed non sicut homo et sicut corpora, sed sicut Deum decet, puro et ineffabili modo, sicut verbum ex anima, sicut radii e sole, sicut aromata ex plantis, sicut color e floribus *generantur*. Pariter, quoad vocem « servus » decet ut refutemus magis quam assentiamus, ne uno quidem verbo tradamus orthodoxiam confessionis nostrae propter blanditias adversarii, utque ad ipsum ipsius *argumentis* respondeamus. Quomodo? Si Iesus Verbum et Spiritus Dei *est*, Deus autem dominus est, ergo et Iesus dominus est. Nullus autem dominus servus est; ergo Iesus servus non est. Rursum, si Iesus Verbum et Spiritus Dei est, omne autem verbum et spiritus causae suae consubstantialia sunt; ergo et Iesus Deo consubstantialis est. Quomodo ergo servus est, si Deo consubstantialis est? *Rursum, si Iesus Verbum Dei est, David autem dicit [1]: « Verbum Dei laudabo », ergo Iesus laude dignus est. Rursum, si Iesus Dei Verbum et Spiritus est, sicut in libro tuo dicis atqui « Verbo Domini caelum factum est et in spiritu oris eius omnes virtutes eius » [2], sicut David propheta ait: ergo in Iesu caelum et omnes virtutes caelestes facta sunt. Sin autem omnium factor est, *ergo* et dominus. Si omnium dominus, et etiam factor *est*: quomodo ergo servus dicetur? Rursum, si Iesus in caelo est, caelum autem secundum scripturam thronus est Dei: ergo Iesus in throno Dei sedet. Etiam ita dicunt [3] Deum ipsi dixisse: « Ecce mortifico te et elevo te ad me », et non dixit: « mortifico te et elevo te » tantum; sed addidit illud « ad me », eo

p. 194.

p. 195.

[1] *Ps.* LV, 11. — [2] *Ps.* XXXII, 6. — [3] *Coran.*, sur. III, 48.

imaginem servi et domini, an forte unam gloriam dominationis et filiationis, sicut unam lucem in sole eiusque sphaera? Audi, si tibi placet, testimonium Patris de filio, et quod audis, disce: quod discis, doce: quod doces, coram omnibus testare. « Hic est filius meus dilectus, ipsum audite »[1]. Num forte dixit: Hic est « servus meus »? Noli calcitrare adversus aculeos. Noli insurgere adversus doctrinam caelestem. Noli esse doctor, cum sis tiro. Submitte te doctoribus et inclina cervicem tuam iugo. Duplex est oeconomia quoad te: Una alta et sublimis est; altera humiliter et demisse perficitur propter te. Infans enim es tu et natura tua tota. Ideo non cibo vero, sed potius lacte
p. 193. *eges, sicut Corinthii[2]. Nisi enim se humiliasset ad te, verbis simul et nominibus, sicut mater, quae balbutiendo se ad filium inclinat, nunquam potuisses subito et e loco ad altitudinem supremam et inaccessibilem oeconomiae eius adscendere; sed captus fuisses, cecidisses et periisses. Sed ut gradatim te instituat, verbis et nominibus humilibus ad te se inclinat. Quod ab ipso propter debilitatem tuam fit, noli quasi per blasphemiam naturae eius imponere.

Sed[3] fortasse eum servum dicis, dum coronae temporis assignas; ipsius enim est vox illa: « servus »; quod si illam maiestati tribuas, omitte etiam confiteri, Filium secundum naturam Deo esse. Statim enim dicam tibi: Homo est, si generat et copulam, commixtionem et humanas passiones meditatur. Dicam tibi: Si actus generandi passio est; atqui sine passione Deus est absolute; ergo sine genito est Deus[4]. Non ut pro Deo instituamus apologiam, quae a passione simul et a generatione eum liberet, nos decet; sed ut potius refutemus quam assentiamus, dicimus ad eum pacifice: Quid dicis, o *vir* mirabilis? Quidnam ex duobus? Videt, audit, cognoscit et operatur Deus, an non? Si Deus non videt, non audit, non scit, non operatur: qui autem talis est, idolum et scuptile est, ergo et ipse idolum est? Si autem Deus videt, audit, sapiens est simul et operatur, homo etiam videt, audit, sapiens est et operatur, ergo homo deus est. Quod tam indecorum et impium est quam prior *sententia*. Et si tu, o *vir* pacifice, prae omnibus eloquens et eruditus,

[1] Matth., xvii, 5, — [2] Cf. I *Cor.*, iii, 2. — [3] Locum obscurum ad verbum vertimus. — [4] Hucusque obiectio; sequitur responsio.

tatem, et nemo humanitatem eius servum dicit, etsi e tali natura est, propter unionem illius qui naturaliter Deus et dominus est. Verbum enim non infirmius est anima aut igni; illa autem corpori virtutem vitalitatis et rationalitatis suae tribuit, ut rationale et vivum sit et dicatur; hic autem ferro calorem et luciditatem suam tribuit, ut calidum et lucidum dicatur simul et sit. Verbum autem Deus corpori suo dominationem, filiationem et divinitatem super omnia dare non posset? Si enim illa, cum naturae creatae sint, qualitates suas sibi mutuo communicare possunt: et fortiores quidem tribuunt, infirmiores autem accipiunt, quanto ergo magis ille creator omnium, per quem omnia facta sunt et sine quo nihil factum est, filiationem, dominationem et divinitatem super omnia suo corpori dare poterit. Audi, si tibi placet, os ipsius de se *loquens*, si tibi fide dignus est. Dicit enim ita [1]: « Quando venturus est, filius hominis in gloria sua et omnes sancti angeli eius cum ipso »; et rursum: « Et videbitis filium hominis super nubes caeli, cum virtute et gloria magna angelorum suorum. Et sedebit super thronum gloriae suae. Et vocabit bonos et statuet *eos* ad dexteram suam, *malos autem ad sinistram. Et con- p. 192.
versus dicet iis, qui ad dexteram eius sunt: Venite, benedicti patris mei, et accipite hereditate regnum, quod vobis paratum est ante constitutionem mundi. Et dicet iis, qui ad sinistram eius sunt: Recedite a me, maledicti, in ignem aeternum ». Quis est ille, qui super nubes caeli venturus est cum virtute et gloria magna angelorum suorum? Quis est ille, qui sedebit super thronum gloriae suae? Quis est ille qui bonos, qui ad dexteram eius sunt, in caelum et regnum aeternum, malos autem, qui ad sinistram, in ignem aeternum missurus est? Servus est? Sed hoc est blasphemia daemonum. Quomodo servus erit rex et distributor donorum regni caelorum? Non dicit: Venite benedicti « domini mei », sed « patris mei ». Si vis, ascende cum ipso in montem Thabor, et adiunge te iis, qui participes fuerunt mysterii regni caelorum. Esto Petrus, Iacobus aut Iohannes. Vide *eum*, dum transfiguratur, et facies eius fit sicut sol, et vestimenta eius albescunt et refulgent, sicut homines in terra nunquam dealbare possunt. Videsne illic

[1] MATTH., XXV, 31 sqq.

Dei Patris ». Quid dicis? Deus est, qui seipsum humiliavit usque
p. 190. ad mortem, an homo? Si *Deus, quomodo hoc non impietas
est? Sin autem homo Domini nostri, quomodo se humiliavit, si
servus est? Servus enim non voluntarie humiliatur. Si se hu-
miliavit, quomodo servus est? Dominus enim est qui humilia- 5
tur. Quid dicis? Servus est ille, qui ab omnibus adoratur et
honoratur, ab iis qui in caelo, ab iis qui in terra, et ab iis
qui sub terra sunt? Servus est ille, quem omnis lingua Do-
minum confitetur? Servus est ille, de quo David haec in Spi-
ritu dicit [1]: « Sedes tua, Deus, in saeculum saeculorum; virga 10
extensa virga regni tui; dilexisti iustitiam et odisti malum »?
Ecce Deum et regem appellat humanitatem Domini nostri.
Paulus quoque, qui raptus est in tertiam partem caeli [2], domi-
num et Deum eum appellat. Petrus quoque dicit [3]: « Tu es
Christus filius Dei vivi », et [4]: « Dominum et Christum fecit Deus 15
hunc Iesum quem vos crucifixistis ». Et tu illum dominum et
Deum super omnia « servum » appellas. Abage! *Haec* opi-
nio non est atriorum ecclesiae, neque eorum qui Spiritu Dei
moventur, sed impietatis Arii et eorum qui faece blasphe-
miae eius ebrii sunt. Adversus hunc pugnantes patres nostri, 20
asseclae Diodori, inquam, et qui ante eos fuerunt, voces servo
et domino dividebant. Quia enim Arius, ille blasphemator, Deum
Verbum creatum esse et servum et opus Dei Patris dicebat,
et Verbum a Patre secundum substantiam scindebat et alienum
faciebat, ideo doctores nomen servi in naturam eius, non in 25
hypostasim humanam Filii transtulerunt. Una enim est domi-
natio et filiatio in duabus hypostasibus, quae in hypostasi
Verbi naturaliter, in hypostasi autem humanitatis eius unitive
est. Et sicut vitalitas et ratio una est in anima simul et in
p. 191. corpore, et una *vis calefaciendi et illuminandi in ferro simul 30
et in igni, sed in anima et in igni naturaliter, in corpore
autem et in ferro unitive sunt; et *sicut* nemo corpus irrationale
et non vivum, propter unionem cum anima, aut ferrum frigi-
dum et nigrum dicit propter unionem cum igni, etsi ex natura
habent aliquid huiusmodi: ita etiam dominatio, filiatio et deitas 35
una est in Christo secundum eius divinitatem simul et humani-

[1] *Ps.* XXXXIV, 7, 8. — [2] Cf. II *Cor.*, XII, 2. — [3] MATTH., XVI, 16. — [4] *Act.*, II, 36.

e converso servi et creati. Si enim omnis creatus servus *est*, omnis autem servus domini est, concedendum erit, omnem creatum domini *esse*, et e converso: omnem dominum creati; sed non *valet* conversio. Ergo non idem est creatus et servus. Illud enim necessarium est, hoc autem possibile; illud commune, hoc singulare.

Sed fortasse dices: Quomodo beatus Theodorus magnus, sanctus Nestorius et ceteri doctores his aequales, priores et posteriores, Christum dividunt dicentes: natura servi et domini, et Dei et hominis? Ad hoc respondemus: Aliter natura se habet et aliter hypostasis, sicut diximus. *Naturam humanam Filii servum vocant, non hypostasim humanitatis Filii. Considerantes naturam humanam, quae in omnibus suis hypostasibus peccato subiecta est, non hypostasim humanitatis Domini nostri, quae in Verbo Deo et Spiritu germinavit, illa voce « servus » usi sunt. Neminem enim e magistris orthodoxis ecclesiae unquam invenio, qui hypostasim humanitatis Domini nostri servum dixerit. Sed omnes, dum naturam communem respiciunt, vocem et nomen servi instituerunt. Hypostasis autem humanitatis Domini nostri dominus, filius, Deus super omnia est, sicut dicunt verba divina. Exempli gratia: « Sedes tua, Deus, in saeculum saeculorum; virga extensa virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti malum; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis [1] ». Haec dici proprie de hypostasi, non de natura communi humanitatis Domini nostri, neque de Verbo connaturali Patri, evidens est e comparatione praecedenti quam instituit: « Pulcher [2] aspectu prae hominibus ». Ecce cum *iis*, *qui* eiusdem generis sunt, instituit comparationem et hypostasim hypostasibus eorum praefert, et propter unionem cum Verbo pulchrum, dilectum, benedictum, fortem, ornatum, gloriosum, victorem, Deum in saecula eum appellat. Pariter et divus apostolus Paulus dicit [3]: « Humiliavit se ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo et Deus multiplicavit exaltationem eius, et dedit ei nomen, quod praestantius est omnibus nominibus; ut in nomine Iesu omne genu flectatur, quod in caelo et in terra et sub terra *est*, et omnis lingua confiteatur, dominum esse Iesum Christum, in gloriam

p. 189.

[1] *Ps.* XLIV, 7, 8. — [2] *Ps.* XLIV, 3. — [3] *Philipp.*, II, 8, 9.

est; ergo dominus noster secundum carnem in aeternum servus est; » respondemus tibi et nos eisdem argumentis et verbis.

Primum ita: Dominus noster Christus in carne filius est: filius autem in aeternum liber est; Christus ergo in aeternum liber est. Omnia enim creator naturae facere potest. Sicut dixit ut e tenebris lumen oriretur, ita voluit ut e servitute liber germinaret. Is enim, qui e nihilo ens per virtutem suam ad existentiam adduxit et pulverem inertem radiis rationis ornavit, idem e natura servituti peccati et Satanae subdita surculum liberum germinare fecit per Verbum et Spiritum suum, in quo omnem naturam creatam liberavit et iustificavit. Et sicut e pulvere Adamum, ex insensibili, non vivo et irrationali sensibilem, vivum et rationalem, e costa Adami Evam, et e semine non vivo, insensibili et irrationali Seth ceterosque homines eduxit: ita et e natura servili Christum, dominum nostrum, qui in carne liber est, germinare fecit. Si enim e lignis siccis et insipidis fructus, odores, flores et sapores producit, quanto magis e servo liberum producere potest. Et si e natura humida aquae mandato suo pisces maris et volucres caeli produxit, qui dissimiles sunt secundum substantiam, virtutem, operationem, genus, speciem, differentias, proprietates, accidentia, et plerumque neque sibi neque materiae, e qua constituti sunt, similes sunt, quanto magis e natura humana, quae ab initio libera constituta est, et gubernatrix et domina super omnia creata
p. 188. est, quam postea autem *ex ipsa libertate eius servitus peccati invasit, poterit Deus in Verbo et Spiritu suo imaginem liberam constituere, in qua nulla forma servitutis sit, et in qua, ex qua et per quam efficiat dominationem, libertatem et honorem apud omnes caelestes et terrestres, qui secundum genus et stirpem ei pares sunt. Et si Deus ex arbore adduxit arietem Abrahamo, ut sacrificium, Isaaci loco, maiorem typum haberet, *si* e lapide flumina populo israelitico scaturire fecit, ne sis incredulus erga futura, *si* e maxilla asini ferocis Simsoni forti aquas produxit et sitim fortis fatigati recreavit, et si aquas amaras dulces fecit, si asinae irrationali loquelam dedit, et levitati ligni gravitatem ferri, gravitati autem ferri levitatem ligni: quanto magis e servo liberum et e subiecto filium et dominum facere poterit?

Postea dicimus: Non eadem est *notio* creati et servi, neque

compositum aut corporalem, cum optime scias, eum ad te se humiliando similitudinem et formam tuam induisse; quomodo non idem sentis et cogitas de filio Dei, cum audis maledictum, peccatum, lapidem, viam et reliqua omnia huiusmodi, nempe eum propter te et ad te se humiliando voces et nomina huiusmodi assumpsisse, non autem quia id natura est et hypostasi?

Sed fortasse dices: Si propter unionem nomen servitutis ab eo recedit, ergo et *nomina* hominis et finiti et alia recedent. Respondemus sapientiae tuae: appellatio servi modum et relationem, appellatio autem hominis substantiam significat. Qualitas *et relatio transeunt et mutantur. Potest enim aliquis e p. 186.
servo dominus et e subiecto liber fieri, sicut e converso e domino servus et e libero subiugatus fieri potest. Quomodo? Sicut olim Ioseph e domino servus et e libero subiugatus factus est; et e converso. Qualitates enim ad invicem permutantur. Quemadmodum enim [1]. . . . . et qualitas quae cadit. Substantia autem nunquam mutatur quatenus substantia. Et si Christus quoad substantiam homo est, substantia autem quatenus substantia nunquam mutatur, ergo et Christus quatenus homo nunquam mutatus est. Et si Christus secundum naturam modaliter et relative servus et subiectus est, modale et relativum autem non sine transformatione et mutatione est, ergo et Christus, quatenus servus et subiectus, secundum naturam non sine transformatione et mutatione est. Hypostasis enim eius nunquam servus et subiecta fuit. Una enim voluntas et operatio fuit cum Verbo, quod eam induit. Natura quidem eius serva et subiecta facta est; sed ipse, qui in sua hypostasi liber inventus est, totam naturam suam a servitute et subiectione, solutione debiti pro ea *peracta*, liberavit. Et sicut Ioseph non in veritate, sed nomine tantum servus erat, in hypostasi autem et veritate liber erat, nomine autem et forma servus, ita et Christus in carne nomine, forma et similitudine servus fuit, in veritate autem et hypostasi dominus et liber erat, tum a parte Verbi Dei, quod a Patre secundum naturam *procedit*, tum a parte Mariae, quae e stirpe regia erat.

Sin autem sophistice dicis: « Dominus noster *secundum car- p. 187.
nem creatus est; qui autem creatus est, in aeternum servus

[1] Locus corruptus.

stium et terrestrium, caelestes autem et terrestres, ut nunc sunt, in servitute ligati sunt, ideo et Christus propter nos in carne servus dicitur. Et quemadmodum eo quod Christus dominus noster caput est visibilium et invisibilium, visibiles autem et invisibiles, ut nunc sunt, inobedientes sunt, tum propter mortalitatem, tum propter debilitatem, idcirco Christus inoboediens dicitur; ita etiam eo quod Christus caput est universi, universum autem, ut nunc est, in servitute est, etiam Christus propter universum servus dicitur. Sed quemadmodum Christus per passionem membri particularis... [1] ita e converso et universum propter Christum dicitur et filius et subiectus, prout dixit divus apostolus: « Tum ipse filius subiicietur ei, qui subiecit sibi omnia » [2]. Nos quidem omnes gratia filii dicimur Dei, cum partem gratiae eius habeamus; ille autem natura et filiatione naturali est filius. Si enim ipse propter te servus dictus et nominatus est, quanto magis tu propter ipsum dominus eris et vocaberis. Et si ipse propter te maledictum et peccatum dictus est, quanto magis tu propter ipsum benedictio simul et iustitia eris et diceris. Decet
p. 185. enim, *ut quae ipsius sunt potius quam tua, dominentur et praevaleant, ut tu in eo et propter ipsum potius filius et dominus sis et dicaris, quam ipse propter te servus, peccatum, maledictum. Sin autem post nomina parva et humilia curris, ita ut servum facias ipsum liberatorem omnium, vide, ne natura Dei tibi et composita et corporalis videatur, quae omnino simplex et spiritus est, de qua audis scripturam dicentem aliquando [3]: « Surge domine, Deus meus, et tolle manum tuam »; et [4] « Deus sedet super sedem sanctam suam »; et [5]: « Expergefactus est Dominus sicut dormiens et sicut ebrius ». Et [6]: « Ascendit Deus in gloria ». Et [7]: « Adscendit Deus in myriadibus et in millibus virtutis ». Et [8]: « Adscendit super cherubim, et volavit, et volitavit super pennas venti »; aliquando etiam *dicentem*, eum esse leonem, ursum, pardum, ignem, lumen et nubem: quae omnia nobis figuras corporeas et compositas repraesentant, unde et desineret esse Deus. Si autem audis haec omnia de Deo a scriptura: nunquam tamen putas eum esse

[1] Hic aliqua excidisse manifestum est. — [2] 1 *Cor.*, XV, 28. — [3] *Ps.* X, 12. — [4] *Ps.* XLVI, 9. — [5] *Ps.* LXXVII, 65. — [6] *Ps.* XLVI, 6. — [7] *Ps.* LXVII, 18. — [8] *Ps.* XVII, 11.

tura servus dicta est, sicut etiam dominus noster docet [1]: « Qui operatur peccatum, servus est peccati ». Assumpsit ergo Dominus proprietatem naturae cum *natura, excepto peccato, et p. 183.
iunxit eas in hypostasin humanitatis suae, naturam simul cum hypostasi sine diminutione. Et ideo Dominus noster hypostasin et naturam sine servitute assumpsit. Peccatum dupliciter super nos venit. Natura enim et hypostasis simul in Adam germinaverunt, qui imago et similitudo Dei fuit et dictus est. Postea intravit servitus cum peccato et perdidit imaginem. Dominus autem noster imaginem et similitudinem intactam sibi univit, cum constitutionem eius in Spiritu sancto conflaret, et conformavit figuras eius ad archetypum primum. Ideo similitudo est servi, non autem in hypostasi servus est; quemadmodum Iudaei de caeco dicebant [2]: « Non ipse est, sed similis est ei ». Nulla autem forma servitutis in dominatione est. Non enim figura tenebrarum in luce, neque servitutis in dominatione apparet. Si ergo ideo Verbum incarnatum et inhumanatum est, ut naturae tuae servitutem servaret et salvaret, recte servum dices, qui generi tuo et stirpi tuae causa servitutis eius est. A dono enim, quod generi tuo largitus est, nominandus et vocandus est. Si autem non ideo caro et homo factus est, ut tibi et stirpi tuae servitutem acquireret, sed libertatem filiorum et similitudinem divinam, — « et vidimus gloriam eius, tamquam gloriam unigeniti, pleni gratiae et veritatis [3] »; « gloriam » dicit non servitutem, « unigeniti », non multorum et communem; et « dedit [4] eis potestatem, filios Dei fieri », — quomodo non erubescis, quomodo non te pudet, dominum tuum, creatorem tuum, et renovatorem tuum, qui et toti generi tuo et creationi libertatem largitus est, servum impudenter nominare et dicere? Ipsa enim hypostasis humanitatis eius, *quia p. 184.
in Spiritu facta et cum Deo Verbo unita est, dominus, liber et Deus super omnia facta est et est. Accepit enim huiusmodi nomina, sicut dixi, tum propter naturam, e qua sumptus est, tum propter eos, qui typum eius perficiebant et exsequebantur, tum propter similitudinem servitutis tuae: quae in hypostasi sua accepit ut te et naturam tuam ab eis liberaret, tum aliis ex causis. Quia enim Christus dominus noster caput est caele-

[1] Iohan., viii, 34. — [2] Iohan., ix, 9. — [3] Iohan., i, 14. — [4] Iohan., i, 12.

et similitudo servi, non servus est in hypostasi. Illud enim « servus » naturam communem fingit; illud autem « similitudo » non naturam, sed hypostasim hominis Domini nostri significat, ita ut homo Domini nostri similitudo naturalis servi, non hypostatice servus sit. Et sicut filius substantialiter forma Patris est, non autem hypostasis Patris, ita redemptor noster naturaliter similitudo servi est, non servus in hypostasi. Et sicut alias apostolus dicens [1]: « Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati », « similitudinem carnis peccati », non autem « carnem peccati » dicit, ita et quando dicit « formam servi », similitudinem servi dicit, non autem servum in hypostasi. Omnes enim homines servi sunt, ipse solus dominus universi et deus est.

Consideremus et intelligamus, quod non res naturae [2] repraesentat hypostasis; neque hypostasis e converso in rebus naturae
p. 182. depingitur et figuratur; sed naturam quidem definimus, hypostasin autem proprietates nobis fingunt et figurant. Natura enim est id, quod communiter et pari dignitate rationis essentiae in singulis hypostasibus, quae speciei subdantur, cognoscitur, sine additione seu omissione illarum novem categoriarum. Hypostasis autem est essentia aliqua propria, quae ab specie quacumque subordinatur additione seu omissione illarum novem categoriarum. Natura quidem huiusmodi: Vivus, rationalis, mortalis, capax intellectus et scientiae. Haec est definitio naturae communis hominum. Hypostasis autem huiusmodi: David, filius Iesse, de tribu Iuda, rufus, pulcher oculis et pulcher aspectu, qui unctus est a Samuele, pascebat greges, incantabat in Spiritu sancto et regem a daemonio malo levabat, qui leonem occidit et pariter ursum necavit dum pascit oves, interfecit autem Goliath in nomine Domini fortis, quem filiae Israel celebrabant dicentes [3]: « Percussit Saul mille et David myriades », quem Saul persecutus est, sed non comprehendit, qui post eum super Israel et Iudam regnavit, qui erat simul sacerdos, rex et propheta, cum quo Deus pepigit foedus, quod Christus secundum carnem ex eo oriretur; et ceterae huiusmodi proprietates omnes hypostasin seu personam repraesentant.

Invaluerunt ergo sordes servitutis peccati, et operuerunt totam pulchritudinem naturae humanae, et propterea etiam na-

[1] *Rom.*, VIII, 3. — [2] In cod. « vitae ». — [3] I *Reg.*, XVIII, 7.

*ita et filius Dei, dominus noster Christus, cum in redemptionem p. 180.
et liberationem naturae nostrae e manibus Satanae, peccati et mortis veniret, non in libertate filiationis, neque in splendore illustri pulchritudinis divinae apparuit, sed subiectione potius et forma servorum usus est. In hypostasi quidem sua dominus, rex et Deus erat, similitudine autem et forma servus et subiectus habitus est, ut per mortem suam mortem nostram solveret et per passiones suas passiones nostras tolleret. Ipsa autem eius hypostasis nulli horum, neque passioni, neque cruci, neque morti subiecta erat. Si enim mors super peccatores dominatur, dominus autem noster peccato nunquam subiectus fuit, ergo Dominus noster neque morti, neque cruci unquam subiectus fuit, quia peccato subiectus non erat et quia fons vitae erat, et templum et habitatio Trinitatis laudabilis. Sed cum his omnino non subesset, tamen propter omnem naturam ea tulit, non coacte, sed sponte, sicut dixit [1] : « Potestatem habeo in animam meam, eam ponendi, et potestatem habeo iterum eam resumendi. Nemo sumit eam a me, sed ego voluntarie eam pono ». Ergo dominus noster in hypostasi humanitatis suae aurum mundum erat et est, aerugo autem nominis servitutis et sordes mortalitatis propter nos voluntarie in se suscepit.

Consideremus, quod in veteri testamento nomen servi, in novo autem non servus, sed similitudo servi dicitur. Causa est, quia illic de typo sermo erat, hic autem de archetypo est, et *quia* illic archetypus non sine typo clare videri poterat, hic autem *sine typis et figuris clare et distincte videtur archetypus, « is, p. 181.
qui in forma Dei est [2] ». Intelligendum est nobis, Deum hic hypostasin Patris, formam autem Dei hypostasin Verbi significare. Voce « forma » duo nobis divus apostolus significat: hypostasin Verbi et consubstantialitatem cum Patre. Eum enim Patri consubstantialem esse, nobis praedicat. Formam enim naturalem hic notavit, et non unum eundemque esse per hypostasin cum Patre ostendit. Idipsum enim est ac Pater, non idem. Idipsum quidem est ac Pater in essentia, — in forma enim naturali eius est; — non autem idem est in hypostasi; alius enim Verbum est a Patre in hypostasi. Et sicut formae Patris est consubstantialis, non autem hypostasis eius est, ita

[1] Iohan., x, 18. — [2] *Phil.*, ii, 6.

modo? Dominus noster quidem Christus propter nos sub lege factus est [1]. Qui autem sub lege est, servus dicitur. Dominus noster Christus ergo propter nos servus dicitur [2]. Si autem non propter seipsum — ipse enim legislator est, — sed propter nos observavit legem: qui autem sub observantia legis est, servus dicitur, ergo Dominus noster propter observantiam legis servus dicitur. Et dominus est proprie: servus autem non est, dicitur vero metaphorice propter nos. Et ita illud tertium.

Quartum, huiusmodi. « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et ut daret animam suam redemptionem pro
p. 179. multis [3] ». Haec *quidem et alia verbis; opere autem: « Nescitis [4], cuius spiritus estis ». Et [5]: « Sumpsit linteum, cinxit lumbos suos, et coepit lavare pedes discipulorum suorum ». Is ergo, qui dixerat [6]: « Vos me vocatis magistrum et dominum, et bene dicitis; sum etenim », ipse voluntarie stolam servitutis induit et opus servorum perfecit erga discipulos suos, sicut scriptum est. Si ergo dominus pedes discipulorum lavit, ut nos humilitatem doceret, lotio autem pedum munus servorum est, ergo Dominus noster propter nos servus dictus est, cum in sua hypostasi magister et dominus sit. Et hoc est illud quartum.

Quintum, et quoad quintum, huiusmodi. Dominus noster Christus passus, crucifixus, mortuus et sepultus est propter nos. Passio autem, crux, mors et sepultura similitudinem servi repraesentant et effingunt. Ergo dominus noster Christus propter nos figuras servitutis assumpsit: et in hypostasi sua filius et liber est, in forma [7] autem oeconomiae propter nos servus dictus est. Quomodo? Sicut enim, si tyrannus aliquis subito aliquod regnum opprimit, palatium cum multis militibus expugnat et filios regis, milites et multos cives in potestate sua tenet et includit, postea autem rex ille filium suum in redemptionem et liberationem captivorum mittit, filius autem regis in fines tyranni veniens non in stola et purpura regia, sed in habitu [7] captivorum et similitudine servorum apparet: et quidem in hypostasi sua dominus, filius regis et liber est, in habitu [7] autem suo fictitie et similitudine servus habetur et dicitur, quia in tali forma [7] servis liberationem a tyranno praeparat:

[1] Cf. *Gal.*, IV, 4. — [2] Textus corruptus. Haec vel similia postulat contextus, loco iteratae sententiae (v. 20-22). — [3] MATTH., XX, 28. — [4] LUC., IX, 55. — [5] IOHAN., XIII, 3, 4. — [6] IOHAN., XIII, 13. — [7] « σχῆμα ».

vir, cuius recordaris, homo, quem visitas? Minuisti eum paulum ab angelis; gloria et honore coronasti eum. Dominari fecisti eum super opus manuum tuarum. Omnia posuisti sub pedes eius ». Et concludit hymnum magnae gloriae eius initio laudationis [1]. Et divus Paulus ad Hebraeos et Corinthios [2] haec ita interpretatur. Alio loco dicit [3]: « Thronus tuus, Deus, in saecula saeculorum. Virga extensa *est* virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem ». Si ergo servus dicitur, *hoc fit* ratione naturae eius, non autem ratione hypostaseos; dominus autem et filius Dei ratione unionis hypostaseos, non ratione naturae suae, nominatur et vocatur. Haec ad primum.

Secundum hoc modo. Regnum et sacerdotium populi *iudaici* typus regni et summi sacerdotii Domini nostri erant. Ideo typi cum archetypo miscentur. Plerumque enim verba prophetarum et prophetiarum confunduntur: res Domini nostri cum rebus regum et gubernatorum, et res istorum cum rebus illius. Et debemus, quod est laudabile, magnum, decorum archetypo tribuere, quod autem est vile et humile typo. Quomodo? « Ecce servus meus in quo mihi complacui » ait Isaias [4], « dilectus meus, quem desiderat *anima mea ». Evidens et manifestum est p. 178.
illud « servus meus » ad Zorobabel pertinere; pater enim illud a filio in Zorobabel transtulit; illud autem « desiderat eum anima mea » ad filium Dei. « Hic [5] est enim filius meus dilectus in quo mihi complacui ». Pariter psalmodia [6]: « Deus, iudicium tuum regi da » partim tamquam typo Salomoni, partim tamquam archetypo filio Dei congruit. Pariter et sectio illa alia [7]: « Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, elevabitur et sublimis erit valde »; et [8]: « Is, quem videram super nubes caeli, tamquam filius hominis venit », partim stricte et absolute, partim metaphorice sumenda sunt de Domino nostro et de Maccabaeis; de Domino nostro sublimia et alta stricte, humilia metaphorice, de Maccabaeis e contrario humilia proprie, sublimia autem metaphorice sumenda sunt; servi enim erant. Et illud secundum ita.

Tertium, propter perfectionem legum et observantiarum. Quo-

[1] Alludit ad ultimum vers. psalmi VIII, qui idem est ac initium psalmi. — [2] Cf. *Heb.*, II, 8, 9; I *Cor.*, XV, 26 seqq. — [3] *Ps.*, XLIV, 7, 8. — [4] Is, XLII, 1. — [5] MATTH., III, 17; XVII, 5. — [6] *Ps.* LXXI, 2. — [7] Is., LII, 13. — [8] DAN., VII, 13.

meum et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo »; quanto magis ergo homo domini nostri, propter unionem dominus, rex et Deus dicendus est, non vero servus propter naturam suam? Et si natura nostra mortalis et corruptibilis in resurrectione ex mortuis immortalis et incorruptibilis futura est, et propter operationem Spiritus sancti, quam tunc accepturi sumus, non amplius tunc mortalis et corruptibilis dicetur, quanto magis homo Domini nostri, quia hypostasis humanitatis eius in hypostasi divinitatis eius infixa est, et in persona naturalis filiationis eius imago eius ficta est, et in Spiritu sancto formatus et constitutus est, non servus, sed filius, dominus, rex et Deus super omnia est et dicendus est? Sicut enim omnis natura eius *humana* e concubitu nata est, ipse autem solus e virgine cum Verbo in Spiritu germinavit, et *sicut* omnis natura humana concupiscentiae subacta est, ipse autem solus sine peccato fuit, et *sicut* omnis natura *humana* solvitur et corrumpitur, ipse autem solus incorruptibilis manet, — « Non [1] dedisti sanctum tuum, ut videret corruptionem »; — et sicut non omnis natura *humana* a Deo Verbo assumpta est per incarnationem, ipse autem solus homo simul et Deus factus est; et sicut non in omni natura plenitudo divinitatis corporaliter habitat [2], in ipso autem solo omnis plenitudo divinitatis habitat: et *sicut* non omnis natura caput *omnium* et super omnia est, ipse autem solus caput omnium et super omnia est; et *sicut* non omni naturae data est omnis potestas in caelo et in terra, ipsi autem tantum data est omnis potestas [3]; et *sicut* non omnis natura est una persona in unione ex divinitate, ipse autem solus
p. 177. unus e trinitate in unione est: *ita omnis natura eius *humana* serva est, ipse autem solus dominus, rex et Deus super omnia est. Audi David in Spiritu eum dominum et Deum quodam loco dicentem [4]: « Domine, dominus noster, quam praeclarum est nomen tuum in omni terra. Elevata est magnitudo pulchritudinis tuae super caelum. Ex oro iuvenum et puerorum constituisti laudem tuam ». Hoc testimonium ipse dominus noster ad se refert [5]. Et commemorat hypostasin humanitatis eius coronatae radiis hypostaseos divinitatis eius, dicens: « Quis est

[1] *Ps.* XV, 10. — [2] *Col.*, II, 9. — [3] MATTH., XXVIII, 18. — [4] *Ps.* VIII, 2 seqq. — [5] MATTH., XXVI, 16.

dicatur, nos pro benevolentia consueta id tibi dabimus. Quinque sunt causae ex quibus filius dilectus in scriptura servus dicitur. Prima, ratione naturae eius. Dicitur enim expresse propter naturam ex qua sumptus est. Secunda, commixtio et confusio verborum prophetiae, *scilicet* eorum quae ad typum cum his quae ad archetypum *pertinent*, et eorum quae ad exemplar cum his quae ad typum et imaginem *pertinent*. Tertia, perfectio legis divinae, quae naturae nostrae data est. Quarta, doctrina humilitatis, quam verbis et operibus nos docuit. Quinta, quia passionem, mortem crucis et sepulturam suscepit, quae potius nobis, *utpote servis, congruebant quam illi, qui erat et est filius Dei. p. 175.

Primum hoc modo. Sicut homo dicitur semen, margarita aqua, aurum et argentum pulvis. Singula enim haec nomina secundum naturam, ex qua constituta sunt, nominantur. « In [1] semine tuo benedicentur omnes gentes terrae ». Patet, non quidem in semine tuo absolute, sed in hypostasi, quae ex semine tuo germinabit. Pariter et margarita ex aqua et quasi aqua dicitur; similiter aurum et argentum e pulvere conflantur. Et quemadmodum Adam a Deo pulvis dictus est [2]: « Pulvis es et in pulverem reverteris », ratione naturae eius, non hypostaseos eius, — hypostasis enim eius viva, rationalis, mortalis erat; — ita et homo domini nostri servus dictus est ratione naturae eius, non hypostaseos. Natura enim eius tota serva est, hypostasis autem eius domina simul et libera est. Si corpus non vivum et non rationale propter unionem cum anima viva et rationali nullo modo non vivum et non rationale, sed vivum et rationale dicitur, etsi non semper cum anima unitum est, sed in initio et fine unio eius cum anima soluta est, quanto magis homo Domini nostri, quia a primo motu existentiae suae cum Deo Verbo unitus erat, Deus, dominus et rex dicendus est, sicut Verbum, quia unio eius nunquam soluta est aut solvetur, non autem, per blasphemiam, servus et subiectus? Et si panis triticeus post consecrationem corpus filii Dei est et creditur: « Hoc [3] enim est corpus meum, quod pro vobis frangetur in remissionem peccatorum », et si eum corpus suum dicit quasi ex unione, non *vero p. 176.
panem secundum naturam huius: « Qui [4] enim manducat corpus

[1] *Gen.*, XXII, 18. — [2] *Gen.*, III, 19. — [3] Cf. MATTH., XXVI, 27, 28. — [4] IOHAN., VI, 55.

de caelo ». Et [1]: « Quia puer natus est nobis et filius datus est nobis ». Et [2]: « Ecce virgo concipiet et pariet filium ». Et [3]: « Necabitur Christus et non est »; et: « Usque ad adventum Christi regis hebdomades septem et hebdomades sexaginta duo ». Haec et alia nomina et similia vocabula filius Dei est et dicitur. — Neque est, neque dicitur. Talia sunt: Obscuritas est illa lux veritatis; mentitor est ille verax; corruptibilis ille qui non corruptus est: aut forte non est ille qui existit essentialiter: aut circulus est quadratum [4]: duo et duo sunt quatuordecim. Haec neque est, neque dicitur. — Est, sed non dicitur. Talia sunt: Connaturalis Patri, eo quod Verbum est; consubstantialis nobis, eo quod homo est; duarum substantiarum et naturarum, aut unius virtutis, voluntatis et operationis. Haec enim et similia Christus, Dei filius quidem est, non autem aperte in scripturis dicitur; tamen quasi naturaliter et virtualiter simul concurrunt. — Quod metaphorice quidem dicitur a scriptura, non autem realiter est in hypostasi. Talia sunt: lapis, sol, stella, virga, germen. « Lapis [5], quem reiecerunt aedificantes ». Et [6]: « Videbam lapidem, qui excisus est sine manibus ». Et [7]: « Oriri fa-
p. 174. ciam vobis, *timentibus nomen meum, solem iustitiae ». Et [8]: « Orietur stella ex Iacob ». Et [9]: « Exibit virga de trunco Iesse, et germinabit germen de radice eius ». Rursum, porta, via: « Ego [10] sum porta ovium ». Et [11]: « Ego sum via ». Haec enim dicitur esse filius Dei, cum in hypostasi neque via trita, neque porta inanimata, neque virga, neque germen sit. Simili modo *dicitur* peccatum, maledictum. « Eum, qui peccatum non noverat, pro vobis peccatum fecit [12] ». Et [13]: « Christus nos a maledicto legis redemit et factus est ipse pro nobis maledictum ». Sicut ergo Christus peccatum et maledictum dicitur, cum in hypostasi non sit, ita in scripturis servus dicitur, cum servus in hypostasi non sit. Et sicut metaphorice maledictum et peccatum dicitur, quia pro nobis mortem maledicti et peccatoris tulit, ita metaphorice etiam servus dicitur, quia ad nos descendit et humiliatus est; non autem servus est in hypostasi.

Si autem absolute causas quaeris, cur in scripturis servus

[1] Is., IX, 6. — [2] Is., VII, 14. — [3] Dan., IX, 26, 25 sec. Peš. — [4] « τετραγωνισμός ». — [5] Matth., XXI, 42. — [6] Dan., II, 34. — [7] Mal., IV, 2; Peš. « orietur ». — [8] *Num.*, XXIV, 17. — [9] Is., XI, 1. — [10] Iohan., X, 7. — [11] Iohan., XIV, 6. — [12] II *Cor.*, V, 21. — [13] *Gal.*, III, 13.

sive visibilia, sive invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Ergo illum, qui super omnia est, quia desursum venit, illum, qui se humiliavit, ut inferiores elevaret, tu servum dicere et vocare audes? Tu dominum tuum et dominum universi servum dicis? Tu liberatorem universi subiectum vocas! Tu tamquam secundum blasphemas illum primum, caput et renovatorem universi, sive ex iniustitia, sive ex *blasphemia. Non erubescis, neque times eum, p. 172.
qui cruci affixus caelum movebat, terram tremefaciebat, sepulchra scindebat, mortuos suscitabat, solem obscurabat, lunam in sanguinem convertebat, et in cuius nomine, postquam in caelum evectus et elevatus est, virtutes, miracula et signa facta sunt, servum subiugatum et subiectum dicere, dum credis per ignominiam unigeniti Patrem honorare.

Sed fortasse dices: Omnia, quae dixisti, credo et adversus ea minime contendo. Discipulus et ego sum filii Dei et scripturae. Attamen audivi libros sacros prophetarum simul et apostolorum filium Dei et dominum et servum dicentes. Quid ergo ex duobus? Utrum divinitatem, an humanitatem filii servum dicunt? Si divinitatem [id faciunt ex...] [1] aut ex blasphemia. Omnino enim impossibile est, ut Deus servus sit. Si autem humanitatem eius, nemo mihi audaciam imputet, si secundum scripturas Christum servum dixi et dico. — Haec sunt verba blasphemantium, intus plena aere blasphemiae, foris autem splendentia quasi auro verbis Spiritus sancti. Ex ipsa scriptura te persuadere, non est nobis labor, si non omnino contendis contra scripturam.

Nomina filii Dei quattuor modis secundum scripturas esse et dici invenio. Aut enim est et dicitur *id* quod cognominatus est; aut e converso non est, neque dicitur; aut est quidem, sed non dicitur; aut e converso dicitur, sed non est id quod dicitur. — *Est et dicitur. Talia sunt: Deus, homo, filius, Christus; id p. 173.
est [2]: « Deus noster postea in terra visus est et cum hominibus conversatus est ». Et [3]: « Deus erat Verbum ». Et [4]: « Deus fortis saeculorum ». Et [5]: « Unus est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus ». Et [6]: « Homo secundus dominus

[1] Aliquot voces excidisse videntur. — [2] Bar., iii, 38. — [3] Iohann., i, 1. — [4] Is., ix, 6. — [5] I *Tim.*, ii, 5. — [6] I *Cor.*, ii, 47.

Dei, et si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Iesu Christi ». Nos ergo, qui partem exiguam Spiritus accepimus, non servi, sed filii Dei esse simul et vocari digni facti sumus, et filii Dei et cohaeredes Christi iam sumus; Iesus autem Christus, qui est causa libertatis nostrae, servus et subiectus, non dominus et Deus esset? Creaturam quoque libertatem a servitute corruptionis in libertate gloriae filiorum Dei acquirere audio [1]. Tota ergo creatio a nomine servitutis et servorum liberabitur, sive illa visibilis, sive illa invisibilis, virtutes, inquam, caeli et terrae: Iesus autem Christus solus servus in aeternum manebit et subiectus? « State ergo in libertate illa, qua Christus vos liberavit », audiebam Paulum caelestem dicentem [2]. Quomodo autem libertatem nobis largitus est, si ipse adhuc servus est? Fiat liber, et tunc aliis libertatem largietur. Fiat dominus, et tunc aliis largietur dominationem.

In Spiritu sancto templum humanitatis eius formatum est et
p. 171. hypostasi *divinitatis eius infixa est hypostasis humanitatis eius in persona naturali filiationis. « In ipso [3] habitat corporaliter omnis plenitudo divinitatis [4] ». A Patre filius testimonium habet; a Spiritu sancto quasi digito monstratur. Iterum cognoscitur filius Dei in virtute et Spiritu sancto per resurrectionem *ex* mortuis, et *eo quod* cum gloria in caelum elevatus est et ad dexteram throni Dei sedet; et a Patre suo dominus *esse* monstratur, ubi dicit [5]: « Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis ». Et ipse proprio ore dixit [6]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra ». Et Paulus clamat de eo [7]: « Dum expectamus spem benedictam et revelationem gloriae Dei magni et vivificatoris nostri Iesu Christi ». Et alibi [8]: « Ex iis apparuit Christus in carne, qui est Deus super omnia ». Ergo cum his omnibus et post haec omnia *audes* aperte servum dicere illum dominum dominorum, illum qui est Deus super omnia et dominus: quod re vera summae malitiae impietas est [9]. Et Ecclesiae caput datus est; et omnia in eo subsistunt et firmantur, et omnia per ipsum et in ipso creantur et renovantur,

[1] *Rom.*, VIII, 21. — [2] *Gal.*, V, 1, secundum Pešitta. — [3] Id est, secundum auctorem: « In ipso prosopo ». — [4] *Col.*, II, 9. — [5] *Ps.* CIX, 1. — [6] MATTH., XXVIII, 18. — [7] *Tit.*, II, 13. — [8] *Rom.*, IX, 5. — [9] Ita vertendum videtur, mutata codicum interpunctione.

dedit et coturnicem de mari, et aquam vobis dare potest. Sed quia rem impossibilem esse cogitavit, et ideo dixit [1]: « *Audite p. 169.
nunc rebelles: de petra hac producemus vobis aquam? » audivit *illud* [2]: « Non intrabis in terram promissionis. » Iosue [3] filius Nun prostratus erat in faciem suam coram arca Domini a mane usque ad vesperas. *Ita* quoque Elias et Eliseus. Ille quidem clamabat et dicebat [4]: « Domine Deus, etiamne viduam, cum qua habito, afflixisti, ut interficeres filium eius? » Et se expandit super puerum ter, et supplicavit Deum et dixit: « Domine Deus, revertatur anima pueri intra eum ». Et rogavit et exauditus est. Defectum pluviae quoque Deo vivo tribuit, dicens [5]: « Vivit Dominus Deus, non erit ros aut pluvia super terram, nisi dixero »; quasi a Deo revelationem acceperit de emissione simul et defectu *pluviae*. Is vero *Eliseus* [6] quoque multis precibus pro filio Sunamitidis mortuo supplicavit. Et perambulavit domum huc et illuc et pari modo se extendit super puerum et supplicavit. Pariter et apostoli, *sed* multo facilius, quia in nomine Christi virtutes faciebant. Hoc modo et taliter prophetae et apostoli virtutes faciebant et perficiebant; Iesus autem Christus non ita, sed tamquam Deus et dominus modo vere divino virtutes faciebat. Ratio quidem miraculorum et virtutum ipsi et apostolis prophetisque communis est, modus vero et qualitas non communis est: isti quidem per supplicationem et orationem, sicut servi, ille vero praecepto et auctoritate, sicut Deus et Dominus, operabatur. Si itaque virtutes et signa auctoritate fecit et posuit; auctoritate autem omnia facere et operari Deo soli competit; *ergo Deus est Christus, etiam p. 170.
in sua humanitate. Ergo servus non est Christus in sua humanitate.

Quid autem dico: homo domini nostri? Nos enim quoque omnes, qui in Christo baptizati sumus, appellationem quidem et rem servitutis exuimus, induimus autem eam filiationis et filiorum, si vera est sententia divi Apostoli, quae dicit [7]: « Non enim accepistis iterum spiritum servitutis in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: abba, pater noster. Et ipse Spiritus testatur spiritui nostro, quod sumus filii

[1] *Num.*, xx, 10. — [2] Cf. *Ex.*, xx, 12; *Deut.*, i, 17. — [3] Ios., vii, 6. — [4] III *Reg.*, xvii, 20, 21. — [5] III *Reg.*, xvii, 1. — [6] IV *Reg.*, iv, 33, 34. — [7] *Rom.*, viii, 15 sqq.

gruenti, non vero sicut apostoli et prophetae, operabatur. « Adolescens, tibi dico, surge » dixit filio viduae [1], qui mortuus fuerat. Et filiae Iairi archisynagogi dixit [2]: « Puella, tibi dico, surge ». Et Lazaro, fratri Mariae et Marthae, dixit: « Veni foras » [3]; imperative, non deprecative; tamquam dominus, non tamquam servus; divino, non humano modo; virtute propria et speciali, non communi et aliena. Et mari aliquando dixit [4]: « Tace, constringere ». In eadem virtute et spiritus *malos* coercuit. Leproso dixit [5]: « Volo, mundare »; et paralytico, qui triginta octo annos in lecto iacuerat, dixit [6]: « Surge, sume lectum tuum, et ambula ». Et in ipsa hora surrexit. Alias *dixit* [7]: « Confortare fili, dimissa sunt tibi peccata tua ». Curatio-
p. 168. nem morborum animae curatione *morborum corporis demonstravit, et utraque se esse dominum, Deum et creatorem hominis demonstravit. « Ut sciatis quia filius hominis in terra potestatem habet dimittendi peccata: adolescens, tibi dico, surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam [8] ». Ubi est hic servitus? Ubi oratio subditorum? Ubi supplicatio egenorum? Nonne haec est vox, quae dixit initio [« fiat lux] et facta est lux » [9]; et « fiat firmamentum in medio aquarum et congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida »; et « fiant luminaria in caelo, ut luceant super terram »; et « proferat terra herbam, quae seminatur secundum genus suum »; et « faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram »? Nonne una eademque erat vox, quae in principio haec fieri iubebat et quae nunc haec praecipiebat auctoritative et divinitus, non serviliter, eadem virtute et eadem potestate Deo competenti? Attamen tunc sine mediatore, nunc autem per mediatorem haec perficiebat. Moyses enim populo legem ponebat non e se ipso, sed e Dei mandato. Moyses, Iosue bar Nun, Elias, Eliseus et reliqui prophetae signa quidem faciebant, sed in nomine et virtute Dei, per orationes et lacrimas. Servi enim erant et dominum rogabant. Ideo Moyses coram domino clamabat propter saturationem populi, et audiebat [10]: « Manus Domini sufficit ». Aliquando autem non aperte Deum coram populo laudavit, neque dixit: Is, qui manna de caelo

[1] Luc., vii, 14. — [2] Marc., v, 41. — [3] Iohann., xi, 43. — [4] Marc., iv, 39. — [5] Matth., viii, 3. — [6] Marc., ii, 9. — [7] Matth., ix, 2. — [8] Marc., ii, 10, 11. — [9] *Gen.*, i, 3 seqq. — [10] *Num.*, xi, 23.

tra accusationem defendit, sed pro discipulis, tamquam servis, de servis sumpsit demonstrationem et apologiam, dicens [1]: « Nonne legistis quid fecerit David, cum esuriret ipse et qui cum eo erant, quomodo intraverit in domum Dei et panem mensae Domini manducaverit? » Pro se ipso autem, tamquam libero et domino, a Patre sumpsit demonstrationem [2]: « Pater meus adhuc operatur, et ego operor. Et quomodo Pater mortuos suscitat et vivificat, ita et filius quos vult vivificat. Et sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et filio dedit ut habeat vitam in semetipso ». Quae est ergo causa, quod in apologia adversus accusationem in discipulos modo e Davide et qui cum eo *erant*, modo e sacerdotibus in templo sabbatum violantibus, in apologia autem adversus accusationem in seipsum e Patre et non aliunde sumit demonstrationem? Quod si servus erat, demonstrationem de se a servis proponere debebat, dicens: Sicut Moyses fecit, et ego facio. Et sicut Elias et Eliseus mortuos suscitaverunt, et ego suscito. Et sicut Elias et Henoch vitam in se habent, ita et ego vitam in me habeo. Cur ergo cum domino suo se comparat, si servus est? Cur eundem honorem et paritatem in substantia et virtute cum Deo sibi vindicat et tribuit, non vero cum creatis et factis, cum apostolis et prophetis, praesertim cum stola [3] naturae eorum indutus esset, et secundum carnem ipsis consubstantialis et coessentialis esset, si *vere servus erat? Dominus ergo est Christus et Filius Dei, p. 167.
etiam in quantum homo nobis connaturalis est, et nemo audeat servum credere et dicere eum, qui redemptor simul et liberator universi est.

Praedicamus eum etiam in legislatione sua tamquam dominum, filium et aequalem, non tamquam servum egisse. Quomodo? « Audistis [4] quia prioribus dictum est: Non moechaberis. Ego autem dico vobis ». Et de singulis legibus veteris *testamenti* per modum comparationis illud « ego autem dico vobis » decrevit, tamquam aequalis honore et aequalis potestate, non tamquam servus. Ergo dominus est vel in humanitate Christus dominus noster, non autem servus. — Et legislationem quidem ita *dedit*; signa autem et virtutes pari modo, potestate Deo con-

[1] Marc., ii, 25 seq. — [2] Iohann., v, 17, 26. — [3] « στολή ». — [4] Matth., v, 21 seqq.

dicitis de Christo? Cuius filius est? », et cum confiterentur *esse* « Filium David », hoc non recusavit, sed monstravit eis, etiam dominum se esse, dicens [1]: « Quomodo David in Spiritu dominum eum vocat. Si ergo dominus eius est, quomodo filius eius est? ». — Et angelus dum pastoribus nuntiat, annunciationem domini, non servi, nuntiavit: « Natus est vobis hodie salvator, qui est dominus Christus » [2]. Si ergo salvator est, quomodo servus *erit?* Si servus est, quomodo salvator *erit?* Si dominus est, quomodo servus est? Si servus est, quomodo dominus est? Si Christus est, quomodo servus est? Si servus est, quomodo « unctus est oleo laetitiae prae consortibus suis »[3], id est Verbo et Spiritu? Illi, quia typi tantum fuerunt, oleo typico uncti sunt, et servi ita quoque manserunt. Partem enim
p. 165. quamdam, *non totam gratiam Spiritus habebant. Christus autem filius Dei prae consortibus suis unctus est. Nulla enim omnino subiectio servitutis in eo apparuit. Moneta [4] enim filiationis naturalis, non servitutis ei impressa est. Quid fuit ergo illud « gaudium magnum », quod toti mundo factum est? Fuitne de nativitate servi, an de nativitate domini et filii Dei in carne? — Dixerunt aliquando Iudaei domino: « Non propter opera bona lapidamus te, sed quia blasphemas et, cum homo sis, te ipsum Deum facis » [5]. Quid ergo Christus dominus fecit? Accepit accusationem Iudaeorum « cum homo esset, se ipsum Deum fecisse », an non? Si non accepit eam, refutare eos debuit: « Vos habetis diabolum patrem: ego autem cum homo sim, nunquam dixi me esse Deum, neque cum servus sim, me esse filium Dei ». Sed hoc Iudaeis dixisse non videtur Dominus. Non tantum, se Deum non esse, [non] dixit, sed et accusationem testimonio confirmavit dicens: « Nonne scriptum est in lege vestra: ego dixi, dii estis; et si illos deos dixit, et scriptura solvi non potest, vos dicitis: blasphemas; quia dixi vobis, quia filius Dei sum » [6]. Cur dixit se esse filium Dei, et non dixit: servus Dei sum? Christus ergo in divinitate sua simul et humanitate filius et dominus est, non servus. — Iudaei impii vituperabant, modo
p. 166. discipulos propter spicas, modo redemptorem propter *sanationem paralytici. Dominus autem discipulos simul et se ipsum con-

[1] Matth., xxii, 43 seq. — [2] Luc., ii, 11. — [3] *Ps.* xliv, 8. — [4] « μονέτη ». — [5] Iohann., x, 33. — [6] Iohann., x, 34 seqq.

aeternum in domo manet, ergo Christus servus non est. Moysen tamquam servum institutum fuisse, audivi Paulum dicentem [1], Christum autem tamquam filium super domum suam. Quomodo ergo non qualitatem Moysis in Dominum nostrum transferemus, dum Filium servum dicimus, et non potius qualitatem Filii in Moysen vertemus, dum Moysen filium et Filium e converso servum vocabimus? Quod si absurdum et ignominiosum est, tribuamus Moysi et omnibus prophetis qualitatem servitutis — tamquam servi enim in domo Dei fideles fuerunt —, Christo autem, domino et Deo nostro filiationis qualitatem; tamquam filius enim et dominus, non tamquam servus, fidelis fuit in domo patris sui. Utrum nunc e libertate et dominatione patris sui dominus et liber, an e servitute matris suae servus et subiectus tibi dicendus erit? Ismael, propter Abraham patrem, liberum dicis, et non audes eum propter Hagar, matrem eius, servum dicere. E contra autem Christum dominum et Deum tuum servum sub iugatum propter matrem dicis, non dominum et liberum propter patrem; etsi mater quoque regina, non ancilla est, si forte non tibi cum Iudaeis incredibile est, eam esse filiam Davidis et ex Davide: « statera enim doli est in manu Canaan et defraudari amans [2] ». Et ecce tamen patrem eius clamantem sicut tonitruum audis supra Iordanem et supra montem Thabor, cum formam aspectus quantum poterat mutaret: « Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo [3] ». Non declinat ad vocem prophetae: « Ecce *servus meus, in quo beneplacitum habeo [4] ». — Videmus etiam Filium Dei aliquando libertatem et filiationem sibimet vindicare. Cum olim Simoni diceret: « Reges terrae a quo accipiunt tributum et censum? A filiis suis, an ab alienis »? et cum responderet *Petrus*: « Ab alienis », Christus conclusit dicens: « Ergo liberi sunt filii » [5], quibus duo ei monstravit se esse: et filium regis caelestis, et liberum. Minime admittit se servum esse aut dici, neque in sua divinitate, neque in sua humanitate; sed propter scandalum tantum similitudinem servitutis assumpsit, ut postulantibus censum solveret. — Alio tempore Iudaeis dixit: « Si filius vos liberaverit, vere liberi estis » [6]. Non dixit: « Si servus vos liberaverit », sed « si filius ». Alio loco, cum rogaret: « Quid

p. 164.

[1] *Hebr.*, III, 5. — [2] Cf. Os., XII, 7. — [3] MATTH., III, 17; XVII, 5. — [4] Cf. Is., XLII, 1. — [5] MATTH., XVII, 24 seq. — [6] IOHANN., VIII, 36.

Dei invisibilis; ipse splendor gloriae et imago essentiae eius » [1]. De illo dicitur « faciamus »; de hoc dicitur « est ». « Is enim, qui similitudo Dei est, similitudinem servi assumpsit » [2], confirmat rationem consubstantialitatis per distinctionem hypostaseon. Is ergo, qui in imagine et similitudine factus est, dominus et liber erit; is autem, qui imago et similitudo *est*, servus esse dicetur? — Rursum, si caro immediate Verbi est, Verbum autem Deus, dominus, et liber est: ergo et caro Verbi dominus et liber est. Si ergo caro Verbi quidem est, Verbum autem servus est; erit ergo et caro servus sicut Verbum, cui unita est. Sed caro Verbo unita est: Verbum autem filius et do-
p. 162. minus secundum naturam est, *unde concluditur: ergo et caro per unionem filius et dominus est. In iis enim *rebus*, quae unitae sunt, praeclarae et sublimes magis quam humiles, superiores evadunt et ab illis magis quam ab his humilibus nominamur. Exempli gratia animae quidem naturaliter vitalitas et intellectus est, corpori autem neque vitalitas, neque intellectus secundum naturam est. Nunquam autem hominem secundum humilia definimus, sed secundum sublimia. Homo enim est vivus, rationalis. Omittimus defectum vitae et rationis, qui naturae corporis est; et definimus *eum* secundum ea quae naturaliter animae sunt: vivum, rationalem. Ita ergo erit apud naturas creatas et factas; apud autem Filium Dei et Christum, ubi altera natura divina, altera natura humana est, omittemus *proprietates* supereminentes filii Dei, dominationem, filiationem et potestatem Deo convenientem, et filio nomina humilia imponemus, servum et iugo subiectum eum dicentes, quae nomina servilia servis recte et vere conveniunt? Servorum malorum et iniustorum nomina et opera servilia sunt. Si ergo ecclesia Christum caput habet, Christus autem ignominiose servus est, ergo ecclesia servum caput habet, et non libertatem, sed servitutem expectare debet. Si enim tamquam dominum et Deum *eum* adoro, et tamquam servum et subiectum agnosco, in abyssos blasphemiae ipse me deiicio. Si enim Christus servus est, servus autem in aeternum in domo non manet [3], ergo
p. 163. Christus in aeternum in domo non manebit. *Sed Christus in saecula saeculorum in domo manet; servus autem non in

[1] *Hebr.*, I, 3. — [2] *Phil.*, II, 6. — [3] Cfr. *Hebr.*, III, 2 seqq.

Quid ex utroque? Liber an servus a Deo creatus est Adam? Si servus creatus est: quia Christus secundum carnem filius Adami, Adam autem, ut concessum est, servus est, ergo Christus in carne servus erit; necessario enim servus servum generat. Si autem non servus, sed liber Adam a Deo creatus est, Christus autem, sicut dictum est, secundum carnem ex Adam est, eritne ergo Adam liber, quamquam peccato et satanae subiectus est, Christus autem servus, qui principem [1] saeculi vicit, qui peccatum non fecit, cuius in ore dolus non inventus est [2]. Concedamus patri libero, ut filium liberum generet. — Rursum, si Adam a Deo servus creatus est, Adam autem similitudo et imago Dei est, ergo servus similitudo et imago Dei est. Sed impossibile est, servum similitudinem et imaginem Dei esse. Sicut enim equus non est imago elephantis, neque taurus imago cameli, ita servus imago et similitudo domini esse non potest. — Deum Adam liberum creasse, demonstrant et legislatio ei data et verba Dei de imagine [3]: « Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, et dominentur piscibus maris et volucribus caeli » et cetera. Si Christus secundum carnem filius Adam est, Adam autem Dei imago et similitudo, is autem, qui Dei imago et similitudo est, dominus, liber et potens est, *ergo et Christus secundum carnem dominus, liber et potens est. Quomodo ergo dicemus servum eum, qui dominus super omnia et potens est? p. 161.

Rursum, sciendum est Adam metaphorice Dei imaginem et similitudinem esse, Christum autem dominum nostrum non metaphorice, sed vere et naturaliter, imaginem et similitudinem Dei esse. Et non Christus propter Adam, sed e converso Adam propter Christum dominus et liber est [4]. Christus autem, qui propter se ipsum imago et similitudo Dei est, non liber, sed servus erit et dicetur, et similitudo transgressionis Adam, qui similitudo illius futuri est? — Rursum, Adam in imagine, tamquam similitudo Dei factus est; Christus autem in carne, non in imagine, sed potius imago, non tamquam similitudo, sed potius similitudo Dei est et dicitur. « Ipse enim est imago

[1] « ἄρχων »; cf. Ioh., xii, 31. — [2] Is., liii, 9. — [3] *Gen.*, i, 26. — [4] Hic secundum R lacuna unius et dimidii versus est. Videtur supplendum: Is ergo, qui propter Christum imago et similitudo est, dominus dicetur.

hypostatice *et* non deificata, sed ipsum esse carnis in Deo fuit. Ita ut caro non fuerit primum caro hypostatice, deinde Deus unitive; ita ut quasi per gradus procederet ad deificationem. Sed statim ac caro *fuit*, statim caro Dei *fuit*; statim ac caro animata, statim caro animata Dei. Ita docet Athanasius ter beatus. Ita Iohannes, filius tonitrui et evangelista, de Deo et divinis loquens, idcirco dicit [1]: « Verbum caro factum est ».
p. 159. Non dicit: « Verbum homo factum est », ne ullo modo *sententia profana intret. Si enim dixisset: « Verbum homo factum est », cum homo nonnisi ex anima et corpore constituitur, anima autem in masculo non ante diem circiter quadragesimum creatur, praevaluisset sententia, Verbum non carni, sed homini perfecto unitum esse, et templum Verbi per quadraginta dies sine unione et deificatione apparuisset, quod absurdum et impietate plenum est. Nunc autem, cum non dixerit: « Verbum homo », sed « Verbum caro factum est », aperte demonstrat, carnem nunquam sine unione Verbi extitisse, sed affixionem et motionem subsistentiae eius in hypostasi Verbi factam esse. Non enim, sicut Iohannes Baptista aliquando Spiritu plenus fuit, aliquando per sex menses plenus non fuit, ita et homo in Christo redemptore nostro aliquando Verbo Deo unitus, aliquando ei non unitus fuit; sed a motu initiali existentiae carnis Verbum caro, caro autem Verbum fuit per unionem. Et ita unio insolubilis fuit et est in utero virginali, in cruce, in morte et sepultura. Et si partes quidem hominis Domini nostri ex unione naturali solutae sunt et dispersae sunt, ita ut corpus eius in sepulcro poneretur, anima autem in paradisum transiret, tamen unio Verbi cum anima et corpore nunquam soluta est aut solvetur, et Deus Verbum post tres dies et noctes corpus suum et animam suam simul in se univit et collegit; et corpori quidem immortalitatem, et impassibilitatem, animae autem stabilitatem divinam omnimodam largitus est: et toti naturae nostrae easdem divitias doni divini promisit,
p. 160. ut si cum ipso pateremur, *cum ipso et glorificaremur [2], et si sustineremus, cum ipso et regnaremus.

Sed finis dispensationis talis est summatim. Bonum autem est ut paulisper de his investigationem faciamus.

[1] Iohann., i, 14. — [2] Cf. *Rom.*, viii, 17.

Deum diligentem et aemulationem cum scientia pro fide Domini nostri Iesu Christi. Maxime autem glorifico et laudo Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, qui redemit nos e potestate tenebrarum et induxit nos in regnum filii sui dilecti, in quo
5 nobis redemptio est et in sanguine eius remissio peccatorum. Ipse enim est et erit nobis causa omnium bonorum, eorum quae prae manibus et oculis sunt, sive naturalium, sive supernaturalium, et eorum quae futura sunt et quae iam nunc in mysterio et typo possidemus. Cum enim is, qui aeternus est
10 et solus natura Deus est, magnitudinem divitiarum gratiae suae creaturae, quam ex nihilo produxit, revelare vellet, id non per angelum, neque per nuntium humanum fecit: sed per Filium aeternum, qui natus est ex eo per generationem ante saecula, qui ipsi consubstantialis et connaturalis est, et coro-
15 nae regnique ab aeterno coaequalis, monstravit nobis in dispensatione ineffabili magnas divitias gratiae suae ineffabilis, quas aliquando, Deus benedictus et solus fortis monstraturus erat. Filius ille Dei e Virgine incarnatus et incorporatus et homo factus est, quin omnino ab eo quod erat Deus mutaretur; omnino
20 enim immutabilis est natura aeterna Dei. Pari modo et caro Verbi deificata est in unione ineffabili in utero *virginali; seu p. 158
potius, ambae *divinitas et humanitas* simul fuerunt modo inscrutabili in ipsa Virgine omni beatitudine digna. Uno enim eodemque motu acutissimo Verbum incarnatum fiebat et caro
25 deificabatur. Natura quidem, sicut imago et typus, ad archetypum suum conformabatur et deificabatur; [Deus] [1] autem, archetypus et exemplar, in typo seu in imagine sua perspectus et homo fiebat, dum unio inscrutabilis utroque seu in utroque simul perfecta erat: et statim ac Deus Verbum *factus*
30 *est* homo, homo Deus factus est in unione. Non enim sicut aliquando fuit, cum Verbum esset Deus, sed non esset caro, ita etiam *dici potest* de homine in Christo, *Christum* hominem quidem fuisse statim ac fuit, Deum autem non fuisse: hoc est impietas et blasphemia Pauli Samosateni. Sed Verbum erat
35 aeternaliter, sine carne donec incarnatum est, sicut fuit sine carne et est Pater eius aeque ac Spiritus eius sanctus. Caro autem nunquam, vel *tempore* motus mentis acutissimi, fuit

[1] Lege: ܗܘܐ ܡܫܬܟܚܐ . ܐܠܗܐ ܕܝܠܗ

cumque modo et quotiescumque *id fiat*, et quae sint *occasiones*, et sive longius, sive brevius *id* accidat; idcirco non inutile aut otiosum reputavi, nunc de hac re tuae sanctitati denuo scribere. Venit ergo ad nos in pace, et in pace recepimus quod per eum miseras. Ora pro nobis. 5

p. 156. XXXIII. — *Eiusdem ad eundem Sergium.

Rabban Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator caritatem tuam veneratur.

Epistulas castitatis tuae accepi et gavisus sum de iis gaudio perfecto. Nuntio enim bono et ornamento eloquentiae ornatae 10 sunt, et idcirco delectamentum purum et gaudium afferunt, et semper et omni tempore huiusmodi verbis delectari cupio.

Rabban Sāhdā incolumis ad nos pervenit et fasciculos quoque intactos secum attulit. Si aliorum tibi opus non sit, mitte eos. Ubi enim panis purus triticeus invenitur, panis hordeaceus mi- 15 nime utilis est. Cibus enim irrationalium irrationalibus magis quam rationabilibus utilis est. Praeter ea rogo, ut sollicite eas in Bēt Mār Mattai, et videas utrum versio Dionysii [1] ab Athanasio an a Phoca facta, melior sit. Exscribe eam, si scriptor praesto est; si non, mitte eam nobis per virum fidum et 20 citius *re*mittemus eam. Ora pro paupertate mea, ut Deus me misericordia gratiae suae dignum habeat.

XXXIIII. — Eiusdem ad sacerdotes et fideles qui in civitate Baṣra et Huballat sunt: de incarnatione Dei Verbi, de deificatione humanitatis eius, et quod Dominus 25 noster Christus etiam in natura sua humana non servus, sed dominus est.

Timotheus peregrinus [2], per misericordiam Dei vivificatoris nostri catholicus, patriarcha orientis: sacerdotibus et fidelibus civitatum Baṣra et Huballat: pax Domini nostri. 30

p. 157. Laudo et celebro studium vestrum pro fide, *o viri Deum amantes. Quia autem zelus vester non *is est*, qui non secundum scientiam, nec qui in ignorantia *est*, quo e contra nonnulli laborare videbantur, quemadmodum dixit divus Paulus [3], idcirco omni exaltatione laudeque dignas habeo et mentem vestram 35

[1] Pseudo-Areopagitae. — [2] « ξένος ». — [3] *Rom.*, x, 2.

rogamus, ut per longitudinem dierum ecclesiae eius serveris. Solus enim e ceteris fortibus remansisti ecclesiae Dei, et causa bona es erisque natis e Spiritu et filiis ecclesiae catholicae. Et de his quidem ita. Quoad damnatum Kosrav, dimitte eum; finis enim eius est finis perditionis. Implebitur apud eum sententia: et quicumque audiet, tinnient ambae aures eius in illa die, et erit super familiam Heli consummatio iudiciorum [1]. Vehementissime enim aegrotat miser ille avaritia, et putat Deum me non segregasse in ministerium servorum suorum ex alia causa, nisi ut venter eius impleatur. Expelle eum a te sicut canem morbidum [2]; quia et nos (id fecimus?) [3], et nihil habeat tecum in sempiternum. Epistula ad Baṣrenses a nobis per Ḥūmānšāh missa est. Casu autem fasciculus secundus apud nos remansit et pro eo ad vos missus est is, qui apud nos remanere debebat. Misimus *vobis eum, qui p. 155.
apud nos remanserat, per satellitem, qui ad vos venturus erat. Vos mittite nobis citius illum secundum qui est apud vos. Alii quoque mittantur. Sed corrige eos diligenter: corrupti sunt enim tum ab initio compositionis, tum a scriptore pravo qui eis adfuit. Corrige eos diligenter ubicunque necessarium est. Scripturi sumus [4] per fratrem nostrum ʿAbdallāhā. Tu autem scribe mihi continuo de salute tua. Vide visitatores insulae [5] (?). Ora pro nobis continuo, ne condemnemur ad tribunal Domini nostri.

XXXII. — Eiusdem ad eundem Sergium.

Rabban Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator, salutem in Domino nostro.

Magnae sapientiae tuae iam antea nuntiavi, quomodo et qua ratione castus ʿAbdallāhā advenerit. Quia autem et nunc in domum paternam [6] redire cupit, sive corporalem, sive spiritalem, qua nihil dulcius est, sicut experientia docet et Homerus poeta [7] testatur, et iterum a nobis signum testificans de rebus suis petivit, ne incredibile aut incertum sit negotium adventus eius; insuper, quia delectamur conversatione tecum, et quo-

[1] Cfr. I *Reg.*, III, 11, 12. — [2] Fortasse pro ܡܠܐܟܐ legendum sit ܡܠܐܟܐ « ἀλωπεκία laborans »? — [3] Fortasse lacuna sit in textu. — [4] Vel « scribimus ». — [5] Mesopotamiae (?). — [6] Id est in coenobium Mār Abrahae. — [7] « ποιητής ».

Propter reliquias peccati [1] quae in manus vestras ceciderunt, sive aerugo aut sordes, sive purificatio aut ablutio, aut quovis alio et simili nomine appellantur, — non est enim mihi cur adversus appellationem iusurgam, ..., est autem menti ita . . . . . — sic fieri iubeas [2]. 5

XXX. — Eiusdem ad eundem Rabban Sergium.

Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus abiectus castitatem tuam veneratur.

Error duplex nobis accidit, et velociter quasi per alas ad vos et ad nos volavit. Fasciculi illi, qui per Hūmānšāh missi 10 sunt, in quibus erat exemplar epistulae ad Bassorenses [3], quia bis exscripti sunt, alii ad nos, alii ad eos qui rogaverant, mittendi erant. Is, qui fasciculos misit, erravit; litterarum notis quidem intendit, sensui autem et connexioni verborum non intendit; et fasciculum secundum, qui hic manere debebat, cum 15 aliis, ad vos misit; illum autem, qui cum vestris mittendus erat, hic reliquit. Scriptoribus quoque error accidit. Cum enim respicerem, quae scripta erant, animadverti et verba et sensus claudicare. Et cum archetypum venire fecissem, errorem inveni. Idcirco misi tibi fasciculum secundum. Ille autem secundus, qui 20
p. 154. apud te est, diligenter nobis mittatur *per virum fidum. Mone eum, ne *liber* humiditate hiemis corrumpatur. Et haec quidem ita. Duas epistulas quas scripsisti, alteram, quae est apologia pro monasterio Bēt ʿAbē, et alteram, quae est notificatio de adventu metropolitae, legimus, et gavisi sumus de utriusque 25 significatione. Ne festines scribere, donec veritatem inveneris. Ora pro me.

XXXI. — Eiusdem ad eundem.

Christum amanti Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus, peccator, caritatem tuam veneratur. 30

Frater noster ʿAbdallāh pervenit ad nos in pace, et epistulae tuae necnon cetera omnia per ipsum transmissa, ad nos secundum Dei beneplacitum pervenerunt. Confessi sumus Domino nostro pro salute tua corporali et spiritali, et Deum

[1] Vel « peccatricis ». — [2] Locus corruptus et fortasse mutilus. — [3] Ita secundum emendationem.

esse volunt, sint in pace; quia nihil detrimenti in hoc est. Regio populi Nūhādrāyē enim lata et fertilis est; Margā autem cum aliis comparata lata et larga, sed cum Bēt Nuhādrān comparata, angusta et coarctata est. Et sicut verba divina docent, decet, ut copia horum illorum inopiae subveniat. Non enim vi voluntatem et libertatem hominum dirigimus, sed quod utile est suademus. Si enim damnum habent e regimine *episcopi* Bēt Nūhādran, commodum autem e regimine *episcopi* Margā sive spiritale, sive corporale, recedant a *damno, accedant ad p. 152.
commodum. Sin autem neque illic damnum, neque hic commodum habent, sed mutatio fortasse e humana passione fiat, non decet humanis passionibus cedere aut favere. Termini enim a patribus *constituti sunt*. Verum tamen sicut terminos generales movere possumus, ita et speciales et partiales. Si enim id fieri potest ob politicam oeconomiam, quanto magis ob oeconomiam moralem; attamen non simpliciter, sed *iustis* de causis, et non sine causa. Et haec ita.

Episcopus Ninives his, quae fecit, debitum ei impositum solvit. Deus sollicitudinem eius remuneret. Qui duas sorores duxerunt, ut Christus maioris habeatur in oculis eorum quam uxores et filii, decet. Ora pro me.

XXVIIII. — Eiusdem ad Sergium.

Deum amanti Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus, peccator, caritatem tuam veneratur.

Accepi epistulam tuam, quam per Rabban Išōʿzekā misisti, et quidquid in ea scripsisti, didici. Valde gavisus sum et Deum laudavi propter conservationem et salvationem tuam, — lumen enim es perfectum ecclesiae Dei in tempore tuo, et oramus ut per altitudines dierum et annorum serveris, — et propter aspectum inexspectatum Rabban Išōʿzekā. Praeter enim omnem exspectationem nobis apparuit, quasi stella in die aut quasi sol in nocte. Ideo propter utrumque Deo valde confessi et gavisi sumus. Ipse enim creaturis largitor et causa omnium bonorum est. Accidit enim ut in diebus, quibus summa debilitate tenebamur, ad nos descenderet. Liberati sumus ab infirmitate sicut ab igne. *Itaque neque conversationem longam, neque alacri- p. 153.
tatem habuimus erga eum, sicut ab ipso audietis, cum permittente Deo in occursum vestrum venerit. Et haec quidem ita.

etiam thronorum additio et detractio fit. Unus idemque Spiritus ecclesiam catholicam, quae est sub omni caelo, perficit per has quinque sedes, sicut per quinque sensus corporis et animae, et sicut per quinque libros veteris legis, et sicut per quinque evangelistas praecones regni coelorum . . . . . [1]. 5

XXVII. — Eiusdem ad Rabban Sergium.

Christum amanti Rabban Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator salutat fraternitatem tuam in charitate Domini nostri.

Scripsi antea castitati tuae per fratrem nostrum Pēṭiōn, sacerdotem e Ḥesnā ʿEbrāyā, et communicavi tecum per eum, quae scitu digna erant. Cum autem hunc tabellarium invenirem, 10
p. 151. visum est mihi, tibi per eum iterum scribere *teque salutare. Notum facimus sanctitati tuae, Iesum, qui rete regni caelestis in mare mundi iecit, eoque fere totum mundum cepit, hoc tempore etiam civitatem Negrān cepisse, iuxta Ḥirta positam [2]; quae usque nunc iugo impietatis Iuliani *Halicarnassenis* subdita erat. Venerunt ad nos vigintiquinque viri: clerici, presbyteri et diaconi cum magna turba plebis, et rogaverunt ut eis episcopum ungeremus. Deo adiuvante, hoc facturi sumus 15 20
dominica ingressus [3]. Confitere Deo pro gratia eius erga nos. Orate, ut opus Domini bonum finem assequatur.

XXVIII. — Eiusdem ad Sergium.

Rabban Mar Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator, salutem Domini nostri. 25

Epistulam castitatis tuae accepimus; [illam] autem honorati marzbān [4] et fratrum eius non vidimus. Ideo tibi . . . . . annunciamus [5]: si sub regimine summi sacerdotis regionis Margā

[1] In cod. lacuna versuum circiter undeviginti. — [2] Negranitae christiani sub Omar chalipha in locum vicinum Kufa migrare iussi sunt, qui locus inde Neǧrān al Kūfah dictus est. Cfr. Guidi, *La lettera di Simeone vescovo di Bēth-Aršam sopra i martiri Omeriti* (Roma, 1881) p. 14 sq. — [3] Fortasse: « Hoc facturi sumus τῷ [Bar]ḥadbšabhā ex Ma'altā ». Quid sint dominicae « ingressus » in officio nestoriano vide apud Payne Smith, *Thes. syr.*, col. 2881; cf. etiam Nilles, *Kalendarium*, t. II, 687. — [4] Titulus Marzbān sub Sassanidis in usu erat: quo tempore praefectos provinciarum limitum significabat. Hic pro walī positum videtur. — [5] Textus hic corruptus videtur.

quattuor autem aliis, e quibus totus mundus potum spiritalem bibit, ordo secundus et sequens tribuendus est. Si enim Romae propter Petrum apostolum ordo primus et principalis servatur, quanto magis ergo Seleuciae et Ctesiphonti propter dominum Petri. Et si ordo et gradus primus iis debetur, qui ante omnes confessi sunt et in Christum crediderunt, nos autem orientales ante omnes confessi sumus et in Christum credidimus, et manifestationem fidei nostrae aperte dedimus in nostris duodecim legatis [1], qui a stella ducti sunt, et in muneribus quae ei obtulimus: aurum, tamquam regi omnium regum et domino omnium dominorum, thus tamquam ei, qui est Deus super omnia, myrrham autem velut in significationem passionis humanitatis eius pro omnibus; patet ergo, orientalibus honorem primae sedis deberi et congruere sive propter honorem regionis: omnium enim regionum princeps est oriens; sive quia corona paradisi coronatus est: paradisus enim typus est terrestris regni caelorum; sive propter coronam regni terrestris: hic enim primum Nimrod coronam regiam cinxit; sive propter patres antiquos redemptoris nostri secundum carnem: in ea enim Abraham natus est et ex ea exivit; sive propter prioritatem fidei nostrae prae omnibus in Dominum: cum enim duos annos natus esset, nuntios et oblationes imperio eius misimus. Triginta ergo annis ante omnes imperium eius confessi sumus et divinitatem eius adoravimus. Quomodo Romani seu *Graeci obsecuti essent p. 150.
Persis primam sedem dare, qui per ipsos [2] in omnibus affligebantur et passiones amaras tribulationesque varias patiebantur? Exinde patet quinque esse thronos. Sicut enim ad correctionem rerum carnalium, quae figura spiritalium erant, Deus primum per Moysen quinque libros dedit, ita postea Deus quinque libros in correctionem animarum constituit per apostolos, per Matthaeum, inquam, et Marcum, per Lucam, Iohannem et Paulum, qui praecipue evangelium dicendus est. Ergo sicut quinque libri et evangelia, ita etiam *quinque* sedes esse debent, nunquam detractionem aut additionem passurae. Non enim cum augmento aut diminutione personarum procedit augmentum aut diminutio sedium. Non enim cum personarum

[1] Cfr. Matth., ii, 1 sqq. — [2] Aequo iure, ex ipso textu, intelligi potest: « qui Romani per Persas », vel « qui Persae per Romanos ».

mus iustum, bonum et creatorem. Pariter ab his et ea, quae sicut nos agunt et confitentur, accipimus simul et laudamus, et communia nobis et illis esse scimus; ea autem, quae non sicut nos perficiunt et confitentur, sed proprio marte et privata auctoritate finxerunt et invexerunt, despicimus et ab atriis ecclesiae catholicae procul reiicimus. Sicut enim divitiae patris illius boni et benevoli [1] eaedam fuerunt erga *filium* seniorem et illum iuniorem prodigum, sollicitudo autem et cura non eadem
p. 148. fuit, ita et christianitas una eademque est *in oriente et occidente, septentrione et meridie, non autem sollicitudo et studium huius unum idemque est apud nos orientales, filios lucis, et apud ceteras omnes plagas orbis.

Et sicut fons, qui ex Eden exiit ad irrigandum paradisum, postea in quattuor capita divisus est, unus autem fons quattuor capitibus additus quinque efficit, et natura aquae in his quinque una *fuit*, qualitas et modus autem (non?) unus; aut si vis, sicut, si Deuteronomium et apostolus Paulus adduntur, sive illud quattuor libris Legis, sive hic quattuor evangelistis, numerus quinque perficitur et consummatur; ita cum tamquam fons vitae et immortalitatis christianitas ex nobis orientalibus orta sit — ex nobis enim Christus in carne apparuit, qui est Deus super omnia [2], — totum paradisum mundi irrigavit, cum quattuor thronos et sedes *patriarchales* irrigaret. Et si numero quattuor unum addimus, numerum quinque perficimus et implemus. Christum ex nobis in carne apparuisse, ita demonstramus. Si Christus in carne ex David apparuit, David autem filius Abrahae fuit, Abraham autem ex nobis, orientalibus, et ex oriente est, ergo notum est et apparet Christum in carne ex orientalibus et ex oriente esse. Ergo fons vitae christianitatis ex orientalibus apparuit et scaturivit, et ex nobis in quattuor capita divisus est, quae totum paradisum ecclesiae catholicae potu divino et spiritali regni caelorum irrigant. Et sicut prioritas et ratio causae tribuitur primum fonti, qui ascendit ex Eden ad irri-
p. 149. gandum paradisum, postea etiam quattuor capitibus ex eo *derivatis, e quibus totus mundus corporaliter bibit; ita et throno nostro orientali, ex quo primum fons vitae et redemptionis ascendere visus est, ordo primus et principalis servandus est,

[1] Cfr. Luc., xv, 11 sqq. — [2] Cf. *Rom.*, ix, 5.

THE INSTITUTE OF MEDIÆVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

tione compositionis naturam Dei passionibus submittit: quod impie simul et stulte intelligunt et docent, cum nullum argumentum e scriptura neque testimonium naturae [1] habeant. Contentio ergo inter nos de modo et qualitate unionis est, non de alia re. Et si alia verba blasphemiae accedunt, sicut « Deus ex virgine naturaliter natus est » aut « Deus passus » aut « mortuus est », et similia, *haec* ex eadem confessione absurda unionis naturalis et hypostaticae compositionis oriuntur, a quibus fugere et faciem avertere debemus, tamquam a morbo animam simul et corpus corrumpente et necante. Nihil omnino his simile aut congruum in scripturis inveniri potest, sed aerugo et sordes in denario fidei sunt, sicut diximus. Aurum enim mundum fidei expressum in moneta [2] regia hoc est: « Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui dicitur Christus » [3]. Iesum Christum ex Maria natum esse dicit, non Deum aut hominem. Et: « Nativitas Iesu Christi ita fuit. Cum desponsata esset Maria, mater eius, Ioseph » [4]. Hic quoque Mariam matrem Iesu Christi dicit, non matrem Dei aut hominis. Et: « cum Maria matre *Iesu » [5]; non p. 117.
Dei aut hominis *mater* dicitur. Discimus quoque ex scriptura, quod Christus, filius, Iesus, filius hominis, dominus noster passus est, crucifixus est, mortuus est et sepultus est, non autem Deus. Aurum autem plenum aerugine et sordibus blasphemiae est dicere Deum in carne natum, aut Deum in carne passum aut mortuum esse. « Filium enim Dei » in carne natum esse, Paulus docet [6], non autem Deum, aut hominem seorsum; et « Christus » in carne pro nobis passus est [7]; non autem Deum aut hominem seorsum et separatim. Nos autem accipiamus aurum mundum et margaritam splendidam fidei; aeruginem autem et sordes blasphemiarum abstergamus, purgemus, abluamus et longe reiiciamus. Num ideo, quod Iudaei, veteres et novi, confessionem trium hypostaseon adorandarum Dei reiiciunt, neque *confessionem* Dei, quam profitentur, accipiemus? Immo, hanc Dei *confessionem* accipimus illam, qua Trinitatem hypostaseon negant, reiicimus. Pariter et a Manichaeis et Marcionitis « Deum esse bonum » accipimus simul et laudamus, esse « malum et iustum », reiicimus; unum enim et eundem cognosci-

[1] I. e.: e natura rerum petitum. — [2] « μονήτα ». — [3] MATTH., I, 16. — [4] MATTH., I, 18. — [5] *Act.*, I, 14. — [6] *Rom.*, I, 3. — [7] I PETR., IV, 1.

p. 145. mine Patris et Filii et Spiritus sancti *perficitur. Una est etiam confessio revelationis divinitatis in nostra humanitate. Una etiam adoratio crucis et versus orientem. Unum et idem mysterium corporis et sanguinis Domini nostri, quod in remissionem peccatorum nostrorum et in memoriam mortis et resurrectionis Domini peragimus. Duo testamenta nos et illi recipimus. Resurrectionem ex mortuis, vitam aeternam, manifestationem gloriae Dei magni et vivificatoris nostri Iesu Christi, beatitudinem simul et iudicium iustum nos omnes pariter expectamus et praestolamur. In his omnibus, et in aliis, unam eandemque concordiam spiritus et mentis possidemus, in festis, inquam, oeconomiae *divinae*, et in festivitatibus pro salute nostra *peragendis*. Distinguimur alii ab aliis ratione unionis, divinitatis scilicet Christi et humanitatis eius. Litem et mutuam querelam habemus, non quidem de divinitate Domini nostri, neque de eius humanitate: omnes enim pariter et Deum perfectum et hominem perfectum confitemur salvatorem nostrum; neque de ipsamet unione sed de modo et qualitate huius unionis nobis est mutua contentio et pugna.

Nos enim, dum recte consideramus naturam rerum et verba divina in scripturis, unionem voluntariam et personalem inhabitationis et revelationis in Christo confitemur. Hoc enim intelligimus primum ex illo: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui [1] », et: « In ipso omnem plenitudinem habitare voluit [2] ». Deinde ex illo: « Ecce servus meus, in quo mihi complacui, dilectus meus, quem concupivit anima mea [3] ». Beneplaciti, non hypostaseos et naturae fuit [4] unio; et manifestum est, beneplacitum naturas simul et hypostases in unam
p. 146. personam filiationis et unionis *coniungere, quae simul divinitatem et humanitatem significat. Hanc personam filiationis et unionis dicimus Christum, Iesum et filium, et his et talibus nominibus divinitatem et humanitatem simul discimus. Ita nos *credimus*. Ex illis autem, sunt qui unam hypostasim ex duabus naturis, et sunt qui unam naturam et unam hypostasim ex divinitate et humanitate halluncinantur et docent, et unionem necessariam, naturalem et hypostaticam praedicant, quae ra-

[1] Matth., iii, 17. — [2] *Col.*, i, 19. — [3] Is., xlii, 1; Matth., xii, 18. — [4] Vox ܗܘܐ in textu (l. 29) delenda est, nisi sit lacuna post ipsam.

neque inter se. Sed alii [1], sicut terra bona, *fructu* trigesimo, sexagesimo, centesimo fidem augent, tum per radios praeclaros scientiae, tum per opera eximia virtutis. Alii autem aliquo modo tripliciter eam minuunt: ex his vero alii assimilantur seminibus, quae secus viam, alii seminibus, quae supra petras, alii seminibus, quae inter spina seminata sunt. Semen quidem unum et idem est quod a seminatore seminatur; terrae autem et qualitates earum, id est corda et eorum dispositiones, non eaedem sunt, neque inter se, neque quoad fidem veram. Pariter firmum nobis sit, unum et idem esse baptisma sanctum, quod primo Dominus in hypostasi humanitatis suae complevit et postea apostolis suis tradidit dicens [2]: « Exite, docete omnes gentes et baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ». Et ex hominibus, qui *successive baptisma, summum p. 144.
sacerdotium et fidem acceperunt, alii sicut terra bona ea acceperunt et fructificare fecerunt, locupletaverunt et auxerunt in virtute Spiritus sancti; alii sicut terra mala et sterilis semen quidem acceperunt, sed non tantum nihil addiderunt nec fructificare fecerunt, sed spreverunt, contempserunt et mutaverunt. Sicut enim semen unum et idem est in terra bona et in terra mala, augmentum autem et incrementum non eadem sunt, ita et fides, baptisma sacerdotiumque eadem sunt apud nos et apud Melchitas et Severianos, non autem augmentum, incrementum et observatio eorum eadem sunt apud nos et illos. Aurum mundum seu margarita christianismi simul apud nos et illos videri potest. Verumtamen apud nos servantur aurum, margarita et fides sine macula, sine sordibus et sine aerugine blasphemiae, detractionis, inquam, et additionis. Apud illos autem est quidem aurum fidei, sed non sine aerugine; invenitur quidem margarita sacerdotii, sed non sine sordibus et sine impuritate blasphemiae. Ideo nos decet aurum baptismi et margaritam sacerdotii recipere, et scire *ea* esse possessionem nostram, sordes autem et aeruginem blasphemiarum tergere, lavare, purgare et procul reiicere.

Una est margarita unitatis divinitatis in tribus hypostasibus et trium hypostasium in una divinitate, apud nos simul et apud illos. Unus quoque est lapis pretiosus baptismatis, quod in no-

[1] Cf. Matth., xiii, 3 sqq. — [2] Matth., xxviii, 19.

tum ut eum inde sibi acquisiturus est. Mitte mihi iuvenem illum
p. 142. logicum [1]; forte ut faciat eum metropolitum Harew. Illic enim Severiani sunt, et opus est illic bellatore strenuo. Ora pro me, o sancte.

XXVI. — Eiusdem ad Māranzekā [episcopum] Nīnewē.

Sancto Dei, fratri nostro Māranzekā, episcopo Nīnewē: Timotheus, servus exiguus Domini nostri, sanctitatem tuam salutat in caritate Domini nostri.

Aurum mundum et margarita pretiosissima est fides nostra, christianorum, o sancte Dei, cuius caput et consummator Iesus Christus est. Etsi variis locis et apud quosdam homines, quasi super candelabrum mundum *posita*, splendores radiorum suorum emittit et omnes homines pure et legitime illuminat; tamen aliis locis et apud nonnullos, quasi sub lecto seu modio posita [2], non omnibus neque pure radios illuminationis et splendoris sui dat. Et sicut virtus illuminativa huius solis sensibilis una eademque est, non autem una eademque vis receptiva luminis eius, sed ex materiis et hylis [3], super quas oritur et diffunditur, aliae totaliter splendorem radiorum eius recipiunt, aliae non totaliter, sed ex parte et partialiter, aliae autem minime receptivae sunt splendoris radiorum eius: ita et lumen magnum fidei nostri, christianorum, unam eandemque virtutem habet; ex eis autem qui id receperunt et recipiunt, alii sicut aurum et margaritae, seu aurum et argentum et lapides pretiosi, alii sicut aes et ferrum, alii sicut lapides simplices et ligna sicca
p. 143. virtutem splendoris et illuminationis eius *admittunt et recipiunt. In domo magna ecclesiae Dei vasa non tantum aurea aut argentea sunt, sed et lignea et lutea; alia enim in honorem, alia in dedecus [4]. Et ex architectis [5], qui super hoc fundamentum aedificant, sunt, qui auro, argento et margaritis pretiosis, et sunt, qui lignis, gramine et sarmentis aedificant. Et sive de fide sive de moribus et qualitate hoc intelligimus. Fundamentum quidem fidei aurum mundum et margaritae pretiosae sunt, sicut dictum est; qualitates autem sententiae et cogitationes hominum non eaedem sunt neque quoad fidem,

[1] « λογικός ». — [2] Cfr. Marc., iv, 21. — [3] « ὕλας ». — [4] II *Tim.*, ii, 20. — [5] I *Cor.*, iii, 12.

simul ad thronum [1] Maišan convenirent, nobisque accurate omnia renuntiarent; quod et factum est. Simul enim in Maišan convenerunt; Maeseni autem causam depositione dignam in eum probare non potuerunt. Scripserunt mihi ambo episcopi de eo non condemnando. Miser autem ille, cum undique propter necessitatem canonum odio esset et angustiaretur, subito iter ad nos instituit. Et cum ad portam circiter quadraginta dies constitisset non apparens ante nos, non propter superbiam, sed ne seditiosis [2] et tumultuantibus in eum causam daret, cum nemo ex accusatoribus eius coram nobis apparuisset, tunc *anathema, p. 141. quo eum propter audaciam eius anathematizaveramus, solvimus, et litteras dedimus cum eo et nuntio nostro ad Zachariam, *episcopum* Kaškar, et Simeonem, *episcopum* Zābē, ut iterum in Maišan irent, eosque, quantum fieri posset, ad pacem traherent, si possibile esset. Si autem impossibile esset, primum occulte et aperte de conditione et qualitate accusatorum Simonis inquirerent, utrum *viri* integri et honesti, an non integri et honesti essent; pariter et de conditione et qualitate regiminis episcopi. Si autem accusatores honesti et legitimi invenirentur, cum Simone et testibus rectis ad nos in urbem regiam mitterentur, ut et nos cum fratribus nostris episcopis *rem* perpenderemus, et inter eos iudicaremus, innocentem absolveremus, reum damnaremus secundum mandatum divinum. Sin autem accusatores inhonesti et illegitimi culpabiles invenirentur secundum Simonis apologiam [3], quam dedit propter eos et accusationem suam, scripsi fratribus episcopis, ut accusatores, tamquam reprehensibiles inventi, ab omni gloria christianitatis interdicerentur, donec poenitentiam egerint, secundum canones ecclesiasticos; episcopus *autem* expleret conditionem [4] suam ecclesiasticam secundum ordinationem, quam accepit ab initio. Simon quidem et nuntius noster simul profecti sunt; nondum autem notitiam ab eis accepimus. Quando nobis notitia eorum veniet, cum sanctitate tua communicabimus. Et haec quidem ita. Sergius vehementer vobis gratias agit. Conqueritur tamen de illa paupertate, quae mihi videtur praestantior divitiis et possessionibus huius mundi. Permisimus, ut terram Māsabadān inviseret, ut inde auxilium acciperet, si tamen non potius de-

[1] « θρόνος ». — [2] « στασιώδης ». — [3] « ἀπολογία ». — [4] « κατάστασις ».

XXV. — Eiusdem ad Sergium metropolitam.

Sancto Mar Sergio, metropolitae Elam: Timotheus salutat sanctitatem tuam in Domino nostro, mente humili.

Maeseni praemature et stulte [1] sanctitati tuae scripserunt propter canonem, quem contra Simeonem episcopum scripsimus. Praemature quidem, quia, cum lis eorum nondum iudicata esset, iam iudicatam putaverunt. Stulte autem, quia non intellexerunt, neque cognoverunt, quomodo episcopus e dignitate sua anathematizari possit, quando nondum steterunt simul accusati et accusatores coram iudice et inquisitore in eos constituto, neque testes adduxerunt de quaerelis, quas in eum proferebant, neque inquisitio facta est de accusatoribus, utrum digni sint, ut recipiantur in accusatione adversus episcopum, an non. Ergo praemature et stulte scripserunt, quod sanctitati tuae scripserunt. Tamen non omnino mendaces apparuerunt in iis, quae sanctitati tuae scripserunt. Interdiximus enim eum ab officio et auctoritate [2] dignitatis suae et *scripsimus* subditis eius, ne eum in ordine [3] pontificatus agnoscerent, non propter credibilitatem accusationum in eum *prolatarum*, quae per praesentiam simultaneam amborum coram nobis et per testimonium virorum proborum, fide
p. 140. dignorum, *constituenda fuisset, sed quia saepe insipienti illi et rudi scripseramus, ut cum adversariis suis ad nos veniret, ipse autem tamquam vir audax et litigiosus litteras nostras vanas et inanes habuit. Itaque interdiximus eum non indefinite sed definite et cum termino: usque dum apud nos in urbem regiam cum adversariis suis adscendat, ut inquireremus, et examinaremus, et probaremus, quae contra eum afferunt. Propter inoboedientiam litteris nostris anathematizavimus eum, non propter accusationes in eum *prolatas*. Non enim locus est neque accusatoribus, neque accusationibus, dum Simon in Maišan, accusatores in urbe regia sunt; neque sine testibus probis et fide dignis. Maeseni autem ipsi cum pertinaciam viderent, quam adversus litteras nostras ostendit, rogaverunt nos, ut episcopis scriberemus, ut in provinciam [4] ipsorum venirent; quod et fecimus. Scripsimus enim Ionae, qui tunc metropolita Harew esse credebatur, et sancto Dei Zachariae, episcopo Kaškar, ut ambo

[1] « ἰδιωτικῶς ». — [2] « αὐθεντία ». — [3] « ἀκολουθία ». — [4] « ὑπαρχία ».

Non eadem, o sancte Dei, *est quantitas et mensura epistularum nostrarum et caritatis nostrae erga sanctitatem tuam. Sed infirmius est verbum nostrum caritate nostra, infirmior conversatio nostra verbo nostro, infirmiores et minores epistulae nostrae conversatione nostra. Et ut, quemadmodum per gradus diminutionis, etiam per gradus auctionis adscendamus et progrediamur: multae sunt epistulae nostrae ad sanctitatem tuam; maior epistulis nostris est conversatio nostra assidua tecum; maius conversatione verbum nostrum, et super omnia maior amor noster erga sanctitatem tuam, qui fixus est inconcussus in anima nostra, firmus sicut sol, luminare maius, illuminator orbis, in altitudine caeli. Et sicut mens aut sensus videndi, illa sapientia, is lumine solis, satiari nequeunt, — illud enim quod assequitur, argumentum et fons eorum est, quae non assequitur, — ita neque desiderium nostrum meditatione et amore perpetuo sanctitatis tuae impleri *potest*. Alii, qui diatribis [1] spiritalibus et rationabilibus nobiscum studiis vacabant et exercebantur, alas sumpserunt et in altitudinem caeli volaverunt. Nos autem terram et terrestria amantes adhuc sine alis mansimus, et sanctitas tua tantum relicta est nobis in solatium. Pro hoc etiam Christum supplices rogamus, ut per plenitudinem annorum et temporum serveris in splendore morum et claritate speculationum [2]. p. 138.

Misimus sanctitati tuae tunicam [3] et pallium. Misimus tibi etiam carmina sancti Theologi, quae ἔπη sive ἰαμβικά dicuntur [4], quae modo cura magni Gabrielis e graeca in syriacam linguam versa sunt. Misimus et alias nostras epistulas, quae de diversis rebus scriptae sunt, ut sanctitas tua videat, et probet, num pulcre et secundum orthodoxiam [5] datae sint. Responsionem *adversus sententiam novam novorum Iudaeorum olim misimus sanctitati tuae, cum in monasterio esses. Non habemus eius exemplar. Si exstat, iube ut nobis mittatur. Salutamus ministros tuos. Pro sex denariis, quos sanctitas tua olim Rabban Išōʿsabran misit, ducentos zūzē dedimus, et pro illis quinque denariis duplum dabimus, si Dominus noster voluerit. p. 139.

[1] « διατριβαί ». — [2] « θεωρία ». — [3] « χιτών ». — [4] De versionibus horum carminum cf. R. Duval, *La littérature syriaque*, ed. 3.ª, p. 309. — [5] « ὀρθοδόξως ».

stantissima esse praedicantur. Ille *visus* enim corporalis est, et corporalia tantum intuetur, is autem sermo spiritalis omnino est simul et corporalis. Ille quidem ἐπίπεδον sive superficiem tantum, is autem profunditates tum corporis tum animae penetrat et tanquam in quoddam mare mergitur et margaritas absconditas et cogitationes extrahit: quod etiam sapientissimus ille dicit [1]: « Profundum est verbum in corde regis, et vir sapiens hauriet illud », non intuitu corporali simpliciter, sed conversatione potius et sermone. Et his simile est illud [2]: « Cognosce, quod coram te, ne ponas cultrum in os tuum », quia utilia et noxia conversatione et sermone mutuo commutantur. Praestantior est ergo conversatio et sermo quam sensus et occursus. Ergo etiam in *occursu personali sermo praestantior est visu. Rursum, si sermo non dissolvitur, visus autem dissolvitur; atqui quod non dissolvitur eo quod solvitur praestantius est; inde etiam ergo sermo melior est quam visus corporis. Corporaliter ergo et spiritaliter de conversatione tua, o sancte, delectatus sum. Inprimis autem gavisus sum de magna fide venerabilis Mār Georgii, qui pulchritudinem legum ecclesiae supra amorem naturalem et amorem filiorum dilexit et honoravit. Et in medio ʿElam nobis apparuit sicut stella lucens in nubibus et sicut rosa inter spinas. Memoria eius fixa sit in caelis sicut sol, qui aperte fixus est in caelo. Iam ergo delectatus fuisti [3] de fructibus laborum tuorum spiritalium, et, quod alii magnanimitate non potuerunt, tu puritate mentis potuisti. Et re vera evenit quod dictum est [4]: « Non *est* velocibus cursus, neque fortibus pugna »; sit nomen Domini benedictum a saeculis et usque in saecula. Ora pro miseria mea, o vir Dei.

p. 137.

XXIIII. — Eiusdem ad Sergium.

Viro illustri simul et forti in diatribis [5], id est in investigationibus et inquisitionibus, quoad speculationes [6] et operationes, perfectissimo et illustrissimo in charitate Domini nostri, fratri nostro Deum amanti, sancto Mār Sergio, episcopo, metropolitae ʿElam: Timotheus minimus *sanctitatem tuam* veneratur et orationem tuam petit.

[1] *Prov.*, xx, 5. — [2] *Prov.*, xxiii, 1, 2. — [3] Vel « fui ». — [4] *Eccl.*, ix, 11. — [5] « διατριβαί ». — [6] « θεωρία ».

Ante adventum Īsōʿsabran seposuimus pro fratribus scholasticis mille et ducenta zuzē; magistro tertiam partem, fratribus autem duas partes dedimus; duobus vero fratribus qui collegerunt *pecuniam*, singulis centum. Libri monasterii
5 prostant et aucti sunt. Servantur quoque duo cruces argenteae, quas sanctitas vestra in monasterio reliquit. Restituimus eas, necnon duos tomos sancti Gregorii secundum versionem Pauli et correctionem Athanasii. Velum illud quod sanctitas vestra misit, cum in monasterio essetis, in suum locum restituimus.
10 Misimus enim in Aegyptum et faciunt ei par secundum quantitatem, praestantius autem secundum varietatem *colorum* et qualitatem. Scripserunt mihi magister et scholastici, quod in pace cum argento pervenerunt in civitatem. Scripsi eis, ut omni modo diversorium emerent, etiamsi supra decem milia
15 addendum esset. Redditus enim annuus eius est duo milia; in foro enim quattercentum est (?). Et haec ita.

De re Adāršābūr *episcopi* Gai me certiorem non fecisti, Nos enim scripsimus secundum mandatum tuum anathema contra tyrannum et monitionem pro receptione eius, et scripta
20 misimus ad Michaelem generum Rabban Gabriel, ut ad vos ea transmittat. Orate pro me.

XXIII. — Eiusdem ad Sergium [metropolitam] ʿElam.

Lumini magno, illuminanti ecclesiam et per spiritalia et sublimia, et per carnalia et terrestria, sancto *Dei, patri nostro p. 136.
25 Mār Sergio, episcopo, metropolitae magno: Timotheus, ille in omnibus exiguus, cum veneratione sanctitatem vestram salutat.

Epistulas vestras per fratrem nostrum Babai *missas* cum magno gaudio et confessione erga Deum accepi; et gavisus sum de eis tamquam de persona vestra pudica et humili. Etsi
30 per complicationes multas et adversas vicissitudines temporis impediti et prohibiti sumus, ne personaliter conveniremus, sicut caritas et canon spiritalis postulant, tamen occurrentes interdum conversationi per litteras congressum personalem et naturalem supplemus. Nam et in ipso congressu personali et si
35 visus et ea, quae sub visum *cadunt*, praestantia sunt, — oculi enim utriusque specula viva et animata sunt et alter in alterum requiescunt tamquam eiusdem generis et eiusdem substantiae, — tamen sermo et conversatio praeclarissima et prae-

meam cognoscerent, parum tantum hinc, multum autem ab
p. 134. aula regia *et* a parte magni Gabrielis — qui non secreto, sed
publice et auctoritative [1] coram omnibus de his *rebus* loque-
batur, quarum exordium non aperte, sed occulte et aenigmatice
fieri debebat — insidiose ad regem nostrum victorem intrave- 5
runt, non aperte in propria persona, sed per illum, qui tunc prae
omnibus nobilis et familiaris erat [2], cui subministrationem auri
per duodecim menses polliciti sunt. *Impeditus sum* praeterea
per odium Nisibenorum erga hanc personam; paucissimis enim
exceptis, omnino *plene* se ab eo averterant. Zelus enim calidus 10
et immoderatus viri primum monachos monasterii Magni, deinde,
per istos, omnes cives Nisibis et hyparchiae [3] eius contra et ad-
versus eum instigavit. Spiritus enim mendacii per os horum
monachorum locutus est, blanditus est, et vicit. Acuerunt lin-
guam suam contra integrum sicut gladium acutum, et verbum 15
suum sicut sagittam, ut feriant in abscondito integrum [4]. Scri-
pserunt enim mihi simul saepissime: Si Išōʿ bar Nūn princi-
pem sedis Nisibenae feceris, Severiani magis quam christiani
fiemus. Cum seditionem [5] seu rebellionem viderem, Iosue, illum
filium Nūn, distuli et Phinees, *filium* Eleazar, id est sanctum 20
Iohannem, *episcopum* Ḥedata vocavi: unctus est Spiritu, ivit,
receptus est et sedet in throno Iacobi [6], cum consensu univer-
sali et approbatione omnium, sicut a multis didicimus, prae-
sertim a nostro magno Mār Gabriele. Oret ergo sanctitas tua
pro pace mundi et ecclesiae. Et haec quidem de rebus Nisibis. 25

Pro Ninive unximus fratrem nostrum Ḥenānišōʿ, qui sanctitati
tuae notus est. Unximus nunc pro Ḥarēw metropolitam Gaukai;
Ionam [7] misi in. . . . . [8]. Pro Mādai *unximus* fratrem nostrum
Paulum monachum; Išōʿ Zekā enim e vita temporali migravit.
p. 135. Išōʿsabran doctorem *venire fecimus et dedimus ei decem 30
milia zūzē: tria milia a Rabban Gabriel, tria milia ab ʿAūn,
quattuor milia ab alio quodam viro [9]. Iussi, ut iis diversorium
Bābai cuiusdam pro schola monasterii emerent, et pars tertia
redditum magistro, duae partes scholasticis *assignarentur*.

[1] « αὐθεντία ». — [2] Fortasse Ḥamdūn ben ʾAlī. — [3] « ὑπαρχία ». — [4] *Ps.* LXIII, 4, 5. — [5] « στάσις ». — [6] Iacobus nisibenus, magister s. Ephremi. — [7] Cf. infra p. 94. — [8] Textus corruptus videtur; nisi vertendus sit: « spoliavi eum Spiritu sancto » i. e. eum destitui. — [9] Cf. supra, p. 89.

utrum scripta, quae de Gai et de patre nostro Adōršābūr misimus, ad sanctitatem tuam venerint, an non. Scripsimus enim secundum vestrum mandatum. Ad magnum Georgium, de eis quae fecit, scripsimus iuxta vestrum mandatum, et laudavimus
5 et gratias ei egimus. Fratrem nostrum Išōʿsabran, doctorem monasterii Rabban *Abrahae* ad nos adduximus. Petivimus a Rabban Gabriele syncello [1] regis nostri, et dedit tria milia; a fideli ʿAūn quoque et dedit tria milia; ab alio quoque, et is dedit quattuor milia, quae in summam sunt decem milia. Volumus,
10 pro scholasticis ematur diversorium illud, tibi notum quod τοῦ Bābai dicitur, ut schola aliquot facultates in recreamentum et adiutorium habeat. Nolui enim, aliquid ei ematur, *cui vectigal p. 133.
impositum est. Ideo Rabban Sabrīšōʿ ad nos venire feci. Mandavi ei, ut praedicaret coram populo, et praedicavit fortiter et
15 suaviter oratione sublimi, firma, bene currenti, fincta virtute compositionis et qualitate tum *argumentis* rhetoricae, tum *sententiis* patris nostri Gregorii. Et si non cunctatus et moratus esset, cum vocaretur, ipse, non alius, principatum Nisibis assecutus esset. Sed Dei sunt dispositiones. Corpus meum et anima
20 mea infirmantur et debilitantur. Scio, navem vitae meae portui sepulchri iam appropinquasse. Velim te videre antequam moriar. Misereatur Deus animae Rabban Gabriel, qui communitati simul et nobis scutum est. A rege enim nobis edictum [2] impetravit, ne quis principum contra me agat in legibus christianitatis.
25 Orate pro rege nostro et filiis eius. Orate et pro nobis, ut misericordiam consequamur.

XXII. — Eiusdem ad Sergium [metropolitam] ʿElam.

Stellae lucenti Elamitarum, immo ecclesiae catholicae, sancto Dei, Mār Sergio, metropolitae magno: Timotheus, in omnibus
30 parvus et exiguus, sanctitatem tuam in Domino nostro veneratur et orationem tuam petit.

Ego quidem omni studio et intentione fratrem nostrum Išōʿ bar Nūn principem sedis hyparchiae Nisibis facere dispositus et paratus eram, sicut et iam fraternitati tuae spiritali scripsi.
35 Impeditus autem et prohibitus sum primum a mandato eius, qui redimitus est corona regia. Cum enim filii iniquitatis intentionem

[1] « σύγκελλος » = m a u l ā. — [2] « σιγίλλιον ».

Sciat sanctitas tua, Deum amans, dominica ante festum palmarum, Spiritum secundum beneplacitum suum elegisse et sanctificasse fratrem nostrum Iohannem, episcopum civitatis Ḥedata, in metropolitam Nisibis [1]. Fratrem autem nostrum Išōʿbar Num [2] non potuimus constituere principem *huius* sedis, sicut antea scripseramus, propter magnum odium Nisibenorum contra eum. Praeter paucissimos enim, gratis eum odio habent. Causa est zelus immoderatus viri et excitatio monachorum conventus Magni contra eum. Dominica autem nova [3] idem Spiritus fratrem nostrum Ḥabbībā, sacerdotem et doctorem civitatis Ḥedatā, in episcopum metropolitam civitatis Rai consecravit. Est enim civitas metropolitana et ibi esse metropolitam decet. Et etiam in provincia regia, quae ab ea pendet, duo satrapae sive spāhbedān sunt: unus in *ipsa* Rai, alter in Holwan [4]. Messis quidem multa est in utroque *loco*, operarii autem pauci [5]. Hyparchia [6] ducentas parasangas circiter se
p. 132. extendit. Antea *de hac re sanctitatem tuam certiorem feci, ut duorum consilio et sententia res ecclesiasticae fierent. Respondisti mihi, *fore ut* quando synodus provincialis apud vos fuerit, vos universim hac de re scriberetis et signaretis, quod et praestolamur et expectamus. Orate, ut ea, quae disposita sunt et disponuntur, in commodum communitatis sint. Et haec quidem ita.

Res Bar Mariam scriptoris subtilissime intellexistis. Res quidem Papa secundum consuetudinem suam laudabilem omnino praecidit, sicut fecit quoad res Dādīšōʿ patriarchae. Synodum quidem et reformationes meminit; ipsum autem tomum synodalem non memoriae tradit, quia coronam laudum Pāpā continet, quamquam inter synodica receptus est tamquam stella lucida in caelo [7]. Epistulam autem non vidi et puto eam non existere.

Iuvenem illum, qui a te elucidationem categoriarum repetiit, nobis omni modo mitte. Certe nobis utilis est. Nuntia mihi,

[1] Ṣaubā. — [2] Fortasse is, qui Timotheo in patriarchatu successit. — [3] Dominica in albis. — [4] Civitas Holwān etiam interdum cum Rai in unam dioecesim unita erat. Cfr. *B. O.*, III, II, 753. — [5] Cf. MATTH., IX, 34. — [6] « ὑπαρχία ». — [7] In synodo Dādīšōʿ patriarchae, anno 423-4 habita, Agapet, episcopus Bēt Lapaṭ, memoriam Pāpā contra priores accusationes defendit.

XX. — Eiusdem ad eundem.

Deum amanti Rabban Sergio, presbytero et doctori: Timotheus peccator salutat fraternitatem tuam in caritate Domini nostri.

Fuit homo quidam ex instituto monachorum, diebus sanctorum et patrum nostrorum beatorum, Iohannis Chrysostomi et Theodori magni, columnae lucis, quae Israelitas spiritales illuminat et totam noctem mortalitatis illustrat, Aegyptios autem obtenebrat et obscurat; *et fuit* sicut lapis ille, qui aliis in ruinam, aliis in erectionem constitutus est. Et cecidit quidem beatus ille e suo foedere in rem fornicationis. Nomen eius erat Theodorus. Huic admonitionem et exhortationem scripserunt fere omnes nobiles et principes ecclesiae, praesertim ter beatus ille Iohannes et Theodorus, angelus lucis. Ex epistulis Iohannis magni illam vidi, cuius initium est [1]: « Quis dabit (capiti meo) aquas et oculis meis fontem lacrimarum »; alteram vero non vidimus. Ex illis Theodori, illius lampadis Ecclesiae, pariter alteram inveni, priorem non vidi [2]. Reminiscor, eas olim descriptas esse a magno *viro* Dei patre et magistro nostro Mār Abraham, cum in *civitate* Marga essemus, cum aliis ad quandam Olympiadem *monialem [3]. Quaere illas inter libros Rabban *Abrahae* p. 131.
et, quas non vidisse scripsimus, describantur et mittantur; quas autem vidimus, non describantur. Librum Gregorii persolvimus ante dies. Si vir fidus a vobis venerit, remittemus eum. Ubi ille de coenobiis redierit, notum fac nobis, quid collectum *sit*. Ora pro nobis.

XXI. — Eiusdem ad Sergium [metropolitam] ʿElam.

Sancto Dei, fratri nostro, Mar Sergio, metropolitae Elam: Timotheus peccator sanctitatem tuam veneratur et orationem tuam petit.

[1] *Patr. Gr.*, t. XLVII, col. 277. Exstat partim versio syriaca; cf. Wright, *Cat. of syr. Mss. in the British Museum*, p. 180, 181, 820.
[2] Si Timotheus non errat, « Theodorus lapsus », ad quem duae epistulae s. Chrysostomi exstant, contra sententiam communem a Theodoro Mopsuesteno distinguendus est. — [3] S. Chrysostomi epistulas XVII ad Olympiam viduam et diaconissam, vide *P. Gr.*, t. LII, col. 549 sqq. De epistulis Theodori ad eam scriptis nihil innotuit.

lina, quae feminina, quae neutra; et si non communiter, sed particulariter unum ex illis masculinum aut femininum *ponatur, oportet discernere,* ad quid et qua de causa, tale aut non tale, est aut non est. Postea *opportunum esse cogitabamus,* videre nomina et verba significativa rerum, quomodocumque fiant, dum secundum qualitatem elementorum investigamus. Pari modo *investigandum esse* de particulis et de iis quae
p. 129. adhaerent nominibus et verbis, et de *aliis atque aliis, quae sub ipsa methodo cadere et esse possunt. Inceperam olim, ut dixi, cum zelo opus tam arduum; cohibitus fui et impeditus primum, ut veritatem dicam, insufficientia, deinde et defectu otii.

Nunc autem, cum sanctitas tua de hoc libro mihi scripserit, valde in Domino gavisus sum et curam domesticam et phantasias vanas removi. Iube itaque, ut necessarie scribatur. Necessarius enim et requirendus est, etsi Bar Daiṣan non placiturum est. Si possibile est, mittatur nobis catalogus librorum Mār Zaina. Fortasse occurrat inter eos aliquis, quem non invenimus. Inspice ipse libros eius et percurre eos per res singulas et omni modo, si forte invenias in eis duos libros de poetis [1] — unum enim habemus; — aut si forte invenias in eis commentarium Olympiodori in libros logicae, aut Stephani, aut Sergii, aut Alexandri, aut libros de ecclesia Ambrosii, aut Amphilochii contra Apollinarem, aut Eustathii magni, aut Flaviani, aut cuiusdam alius. Quaere magni Athanasii controversiam adversus Arianos definitis modis [2], inveni eam XVI (*capitibus?*): videtur mihi aliquid amplius esse. Primum est: « Si in principio erat Verbum, et Deus erat, et erat in principio apud Deum, in fine autem propter nostram salutem se ipsum humiliavit, et ideo exaltatus esse dicitur, quomodo non omnibus pateat, hoc non secundum naturam Verbi accidisse, sed in mysterio incarnationis ». Quaere mihi et epistulas dominica-
p. 130. les [3] eiusdem Athanasii et eius apologiam de *fuga sua. Frater noster 'Abdullāhi secundum voluntatem Domini venit et rediit. Ora pro nobis, aegrotor valde, cum haec tibi scribo.

Scriptum feria sexta ante *dominicam* palmarum.

[1] « ποιηταί ». — [2] Fortasse sensus sit « concisis argumentis ». Locus citatus ad verbum non repperitur inter opera Athanasii edita; quoad sensum, cf. *Orat. I adversus Arianos*, cap. 41; *P. Gr.*, t. XXVI, col. 95. — [3] Aut « principales ». Fortasse intelligit Epistulas festivas a Cureton syriace editas.

multis, modo divitias linguae syriacae, modo inopiam, aliquando abundantiam eius materialem, aliquando defectum formae eius caracteristicae, inveniebam ex parte ipsius nihil aut perpauca, ex parte aliorum non multa, sed pauca; et ita consilium et cogitationem capiebam, quomodo egomet methodum [1] huiusmodi aggrederer, etsi stultus sum et imbecillitate mentis loquor. Studebam, tanquam possessor et familiaris linguae, copiae et inopiae eius de qua dixi; studebam etiam linguis ceteris et alienis, quae, ut fertur, ab hac nostra derivatae sunt secundum traditionem vigentem, antiquam et paternam; graecam dico, et ismaeliticam, quae ambae copiosae et divites sunt et quoad vocabularium [2] et quoad efformativam earum rationem, quae in sola grammatica [3] et non aliter esse potest.

Intendebamus et cogitabamus cum familiaribus meis opportunum esse: primum ab elementis [4] simplicibus incipere et unumquodque inspicere et examinare, utrum compositum sit an simplex, sive litteris sive sono. Si quidem est compositum, *examinandum erit*, utrum *sit* ex una eademque paritate elementorum et modulationum an non ex iisdem. Si autem est simplex, similiter **examinandum erit*, utrum ex eadem specie simplicitatis tum quoad consonantes, tum quoad vocales, an forte non ex eadem specie inveniatur. Sive sit compositum sive simplex, *examinandum erit* num in excessu, aut defectu, aut in relatione, aut qualitate compositio vel simplicitas videatur; et colligenda erunt secundum prima genera, quae spectant ad simplicitatem aut compositionem, et ad affirmationem aut negationem, universalitatem aut non universalitatem; cum mutaretur ordo elementaris consuetus quoad compositionem et simplicitatem. p. 128.

Cogitabamus opportunum esse postea explorare et examinare sonos et voces et separare eas secundum eundem modum et ponere eas simul extra ordinem usualem; rursum autem investigare, num forte possit inveniri elementum aliquod aliud in significationem eorum, quae ponuntur, iuxta syriacum: quaerere de elementis illis, num sint masculina, aut feminina, aut neutra, et habeant suas appellationes aut designationes; et si communiter *ponantur, oportet* discernere quae sint mascu-

[1] « μέθοδος ». — [2] « λέξις ». — [3] « γραμματική ». — [4] « στοχεῖα ».

per sinistras et adversas, ut per mutationes varias et adversas omnes *homines* rationales ad illam transmutationem dirigat et adducat, quae sola immutabilis est. In hoc gavisus sum et gaudeo, et gubernatorem [1] huius universi oro et imploro ut omni tempore, omni re, omnibus incrementis validis res pulchrae sapientiae tuae crescant, et coram omnibus cum radio praeclaro virtutis appareant, et splendor pulcherrimus earum omnes
p. 126. fines orbis illuminet, et cum sole radii *magnae illustrationis earum ad quattuor plagas creationis se extendant; ita ut in ipsis per ipsas et propter ipsas omnis mens et intellectus qui pueriliter humi reptat, elevetur, dirigatur et cum luce magna solis iustitiae misceatur, qui vere lux mundi est et dicitur, qui est substantialiter ante saecula ab eo qui est aeternus et sine causa secundum naturam; in carne autem venit, ut omnes creaturas illuminaret et rationales consimiles corporis claritatis suae faceret [2], quod est plus minus eorum forma (?). Haec hic finem habeant.

Frater autem noster Rabban Abā venit ad nos in pace. Tomus quoque alter sancti et theophori Gregorii, cum septem fasciculis e primo descriptis, sine damno advenit. Gratias agimus fraternitati tuae spiritali, quod eos misisti. Ecce paulo antea castitati tuae scripsi, ut tomus ille completus mitteretur. Cum autem missi sint, perlustrabimus eos cum codice nostro et remittemus eos cum altero tomo, quem misistis. Habemus enim hanc versionem, duas eius partes. Non autem adaequatae sunt et nomina illa graece scripta in eis non sunt. De ceteris scribemus castitati tuae per nuntios, qui de monasterio Ionae prophetae ad nos venturi sunt. Salutamus omnes fratres. Gratia sit vobiscum et nobiscum. Amen. Fratres orate pro nobis.

XVIIII. — Eiusdem ad eundem.

Christum colenti Rabban Mar Sergio presbytero et doctori: Timotheus, peccator, castitatem tuam veneratur.

p. 127. *Desiderabilis est liber ille, quem proposuisti [3], et quidem, non solum desiderabilis, sed valde necessarius [4]. Cum enim perscrutarer, aliquando mecum solus, aliquando cum scrutatoribus

[1] « κυβερνήτης ». — [2] Cf. *Phil.*, III, 21. — [3] De quodam opere grammaticali sermo est. — [4] « ἀναγκαῖος ».

Valde augetur in me gaudium, o *vir* Christum colens, quotiescunque particeps fio conversationum rationabilium castitatis tuae, cum caritate simul et dialectica ornatae sint [1]. Et dialectica quidem non simpliciter, sed dupliciter et duplici modo: in omni simplicitate non composita, et in omni compositione non simplici, id ipsum quod aliqui philosophi *velut* partem et organum [2] philosophiae laudarunt; alio tamen et alio modo. Quia conversationes tuae talibus resplendent ornamentis, — caritate, inquam, et hoc quidem naturae adscribendum est, dialectica et eloquentia, et hoc vero iteratis curis, — resplendent maxime in institutione nostra; nostram dico illam Spiritus sancti, quae sermonis et eius complexionum minorem curam habet, maximam vero virtutis ipsius et regni Dei; illam, *dico*, quae in rebus praesentibus id omnino intuetur et intendit, ut in eis *rebus* videat invisibilem natura *sua* et solum infinitum, *Deum*, et *ideo* totum suum desiderium et cupiditatem non in vela externa, sed in illud *velum* quod sancta sanctorum tegit, *ponit, in quo (*infinito? velo?*)* omne desiderium sistit p. 125.
et concluditur, nec unquam ad altiorem locum tendit. Nihil enim sublimius unquam fuit aut erit illo *desiderio*; nihilque *sublimius erit* menti quam philosophia aut investigationes. Aliud enim est ac prius, *obiectum* concupiscentiarum, ut ita dicam.

Quia ergo conversationes tuae tali splendore resplendent, o lucifer, clare radiis, non sine iucunditate et laetitia magna conversationes utiles et iucundae castitatis tuae mihi occurrunt. Ideo etiam magna debemus vobis pro huiusmodi donis logicis et theoreticis [3], et magna auferri opinamur, si alicubi aut aliquando eis privamur, quae constanter diligimus. Rogamus enim et optamus, ut semper nobiscum adsint. Sed de vestris *epistulis* magnopere gavisi sumus; gavisi sumus maxime de ratione expositiva earum. Ostendebat enim evidenter et docebat, res vestras multo melius se habere, quam eorum, qui in circuitu vestro et in finibus [4] *sunt*, per motum illius, qui res universi bene movet et gubernat secundum divitias magnas sapientiae suae imperscrutabilis, tunc per res dexteras, tunc

[1] Sequentia obscura sunt; non sine dubio versionem, ad litteram quantum potui, dare conatus sum. — [2] « ὄργανον ». — [3] « θεωρητικοί ». — [4] Cod. habet ܬܚܘܡܐ.

Scripsi fratri nostro Nestorio, metropolitae, ut libros apud te relinquat, sicut sunt. Sed scito, quinquaginta tomos esse libros nostros; non per furtum, sed per donum Rabban *Abraham* interpretis. Neque gratis mihi eos legavit, sed pro eo, quo ipse egebat, quodque ego ei dedi. Et si ei oboedissem, Rabban ipso vivo eos sumpsissem. Sed non assensi, immo, quos in Bēt Begaš [1] aquisiveram, ad eum misi, sicut omnes vos scitis. Post autem mortem Rabban *Abraham* nolui offendere conscientiam Rabban Pētiōn [2]; erat enim pusillus mente et corde. Si (enim audivisset) [3] a me aliquid huiusmodi, ne una quidem die toleravisset illic *permanere libros*.

Habemus enim multas eius epistulas, *quibus* me urgebat: « Mitte, tolle omnia, quae apud me habes; non enim possum servare vestimenta tua et libros inter fideles ». Ego autem, cum menti eius foverem, hoc omnino facere non cogitavi. Et nunc pares mihi estis tu et ille pater totius nostrae communitatis. Curam habe cum sollicitudine rerum tuarum, et coenobiis non nisi virum rectum et strenuum praeficias, quia sub praefectura patris nostri valde segnes fuerunt [4]. Sume de quingentis zūzē, sicut tibi scripsi, et accommoda cellam tuam. Reliquas zūzē huc mitte per virum fidum. Si possibile est, mitte *mihi* exemplar haereticorum [5] Gregorii *Nazianzeni*, cuius duas partes exscripsistis. Habeo enim versionis, quas scripsistis, duas partes;
p. 124. sed non sunt omnino *emendatae. Si illae haereticorum mitti non possunt, mitte nobis vestras [6]. Noli transcribere epistulas meas de servitio *ecclesiastico*: non enim cum diligentia sicut priores conscriptae sunt; neque erigas mihi monumentum, quod stultitiam meam generationibus futuris tradat. Ora pro me.

XVIII. — Eiusdem ad Sergium doctorem.

Lampadi lucenti Spiritus, Rabban Mar Sergio, presbytero et doctori: Timotheus, servus minimus Domini, salutat fraternitatem tuam in caritate Domini nostri.

[1] Hoc factum fuerat cum Timotheus, successor patrui sui Georgii, episcopatum Bēt Bagaš teneret. — [2] Subaudi: significando libros esse meos. — [3] Haec quoad sensum; textus corruptus aut mutilus videtur. — [4] Sensus dubius. — [5] I. e. monophysitarum. — [6] Si recte intelligo, Timotheus habebat Gregorii homilias in versione Pauli abbatis. Interea in schola apographum revisionis Athanasii Baladensis factum est. Timotheus rogat ut archetypus aut apographum ipsi mittatur. Cf. p. 91.

illius sapientiae [1], quod bove simul et asino arabat. Et ei, qui sapientiam sapientibus dat et rationem rationabilibus largitur, confessus sum.

Doluit me tamen aliquantisper, quod mens tua valde commota sit implicationibus verborum falsorum, quae sicut rete araneae contexta sunt non artificiose sed valde stulte [2]. De illis parum quidem miramur, valde autem de magna sapientia tua, quomodo haec credas et sermone memorari digna iudices. Quis enim eorum, qui mente non carent, nesciat qualiter et quomodo se invicem habebant *res Christi amantis Rabban p. 122.
Pētiōn et res tuae castitatis. Quis non apprime sciat, accusationem, quam homines in stultitia vulgaverunt, non sanctitatem tuam, sed potius Iovem et Herculem et ceteros deos paganorum eorumque ministros et servos attingere. Nesciunt enim accusatores illi omnibus sapientiores, cuius spiritus sis et futurus sis; secundum enim proprias passiones et res sibi familiares alios perpendunt et iudicant. Remove ergo, o homo Dei, haec ab aure et mente tua. Sta in loco tuo tamquam super adamantem. Firma gressus tuos in Deo tamquam super saxum adamantem [3]. Non enim audimus voces aliorum de te, quicunque et quotcunque sint; sed potius tuas de eis, etsi valde nobiles et valde illustres sint, audimus in praesentibus et in futuris. Tu quoque convertere aliquando et confirma fratres tuos [4], et porta onera eorum tamquam membrorum Christi. Si enim alienos tolerare debemus, quanto magis membra Christi.

De rebus cellae et scholae recte dispone, sicut decet oeconomum prudentem. Tuum est enim, ut fratres tuos doceas et dirigas, non fratrum tuorum, ut te doceant et ducant. Quingentas zūzē, quas tibi assignavimus, propter ruinam cellae, de qua nobis scripsisti, assignavimus tibi. Sin autem tibi videtur magis utile, ut in aliud negotium *ea* expendas, tuum est eligere, non aliorum. Scribe nobis continuo omnes causas, quae tibi cum fratribus scholasticis *moventur*. Servi enim et ministri eorum sumus, non domini eorum sumus. Ad ipsorum et aliorum sustentationem Deus huc me misit, *non in honorem meum. Agrum p. 123.
Bēt Būrē [5] omnino ne vendas, sed quotannis agricolis da, et mercedem ab eis sume, ut te ipsum et fratres tuos nutrias.

[1] I. e. Scripturae; cf. *Deut.*, XXII, 10. — [2] « ἰδιωτικῶς ». — [3] « ἀδάμας ». — [4] Luc., XXII, 32. — [5] Pagus dioeceseos Ninive.

est, omnibus elevatior est et invenitur. Haec et talia apud te sunt et fuerunt, et oro Dominum ut et amplius sint et inveniantur.

Curam habe omnium rerum scholae, internarum et externarum. Sollicitus esto de rebus Sliba [1] et Bēt ʿAdē et aliorum coenobiorum [2]. Sollicitus esto, ut exscribas Dionysium [3] *iuxta* versionem Athanasii aut Phocae. Inspice epistulas, quas ad Rabban Pētiōn, sanctae memoriae, scripseram. Sume eas ab Elia bar Farrūkzād. Quaere libros patrum nostrorum [4] in Bēt Mār Mattai, meque de eis certiorem fac. Quaere libros non inventos [5], quantum poteris, meque de eis certiorem fac. Vale, et ora pro nobis.

XVII. — Eiusdem ad Sergium.

Sancto Dei, fratri nostro, Rabban Mār Sergio, sacerdoti et doctori: Timotheus, minimus servorum Dei magni et vivificatoris nostri Iesu Christi, castitatem tuam veneratur.

Legi epistulam tuam multarum linearum sive literarum [6], o domine Christum diligens, et suavissime commercio eius recreatus sum. Duplex enim gaudium, non autem simplex, ex ea
p. 121. mihi accidit. *Ideis enim puris et excultis valde et suaviter delectatus sum; non minus quoque compositione [7] sermonis voluptatem percepi. Quia enim una eademque quantitate et mensura idea et sermo pariter veniebant, ut ita dicam, sicut ea quae pari numero sumuntur; aut si alio exemplo [8] uti vis, sicut videre est, scripta elementis paria quae concordanter, sine additione aut subtractione simul sumuntur, quorum tamen priora typi, et posteriora archetypi sunt: ideo, etiam delectamentum ex utroque non impar et non sine mensura obtigit mihi. Ambae enim simul, eodem studio inquam et congruenti mensura, currebant sicut pulli equini prompti et aequales cursu, qui currui illo Platonico iuncti sunt [9], non autem ad instar iugi

[1] I. e. monasterii Crucis. — [2] De ܣܘܩ, سوق, cfr. *Zeitschr. der Deutsch. Morg. Gesellschaft*, t. LIV, p. 336 seqq. De xenodochio السيق conventus Mār Saba, cfr. *al-Machrīq*, anno 1905, p. 261. — [3] Pseudo-areopagitam. — [4] Sic secundum R.; C: « *libros* in eis *litteris nominatos* ». — [5] Fortasse sensus sit « libros raros ». — [6] « στοιχεῖα ». — [7] « σύνταξις ». — [8] « τύπος ». — [9] Cf. Greg. Nyss., *De anima et resurrectione*, *P. Gr.*, t. XLVI, col. 50.

vestrae externae et internae ita inveniantur, parati sitis regno caelorum, pro quo cucurristis et curritis. Et haec quidem ita.

Sancto Mār metropolitae per literas gratias egimus pro eis quae vobis fecit [1]. Et rogavimus eum, ut in omnibus benignitatem vestram adiuvet, quamquam, Domino iuvante, incitatione non indiget. Tu, frater carissime, adde moribus praeclaris, quos possides, laborem virtutum quas alios doces. Confirma eas, quasi per exemplum demonstrativum, operibus quae eis congruunt, ita ut bonum faciendo et docens, magnus voceris in regno caelorum secundum verbum Domini [2]; ipse te et nos confortet ad perficiendam eius voluntatem. Amen. Fratres scholasticos cum reverentia salutamus. Sint firmi in spe regni caelorum, et pro nobis orent.

XVI. — Eiusdem ad Sergium.

Rabban Mar Sergio, sacerdoti et doctori, Timotheus peregrinus [3]: pax Domini.

Castitati tuae iam ante haec bis scripseram et nunc tertia vice tibi scribo. Sta super spem communem tamquam super petram veritatis; leva cogitationem et mentem tuam ad summum pontificem, magnum Iesum Christum; roga eum incessanter, ut nostris et communitatis peccatis propitietur; nihil enim ipsi impossibile est, eumque incessanter placa sacrificiis suavibus castitatis [4]. Fundamentum omnium actionum et verborum tuorum sit Iesus Christus. « Quodcunque facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite [5] ». *« Non enim est hominibus p. 120.
ullum nomen, in quo vivere debeant, praeter hoc [6] ». Deus enim est incarnatus et homo in Deum infixus [7] et constitutus. Non sicut accidens in substantia, sed sicut subsistens in subsistenti.

In omnibus humilitate ornatus esto. Sine ipsa enim nunquam ad Deum pervenire licet. Scala est ad caelum perducens et gradus ad Deum elevans. Ipsa sola, quamquam infra omnia

[1] Metropolita Ḥdaiab tunc fuerit Iso'iahb, qui cum Timotheo de patriarchatu contenderat. Cfr. Thom. Marg., *Hist. monast.*, IV, 2 seqq.; nisi iam ei successerat Nestorius; cfr. p. 72, 82. — [2] Cf. Matth., v, 19. — [3] « ξένος ». — [4] Intellige « monachismi ». — [5] *Col.*, III, 17. — [6] *Act.*, IV, 12. — [7] ἅπτεσθαι.

omnes imagines praeclaras patrum nostrorum praestantium, per quos spiritaliter genitus et educatus es. Ale greges ecclesiae in virtute Spiritus sancti. Pasce eas in pratis fortitudinis scripturarum, et fac eas reclinare super aquas suaves virtutis [1]. Et vos, fratres cari et dilecti, inclinate aurem auditui doctrinae eius et audite verba eius. Doctrinam vitae enim in animas vestras infundit. Sic respicite personam eius ut personas patrum nostrorum.
p. 118. Retribuite ei *honorem tamquam patri, siquidem et thronum patrum nostrorum iam haereditate acquisivit. Nemo resistat mandatis eius, neque contradicatur. Scribite nobis continuo de omnibus. Non moveantur cogitationes vestrae a loco vestro, neque relinquatis conventum patris nostri Abraham, neque discedatis a sepulcro eius. Christus Deus, per quem omnis gratia abundanter ad timentes eum pervenit, conservet vos et nos, doctores et discipulos, sub tegmine misericordiae suae. Ipse operetur in nobis, quod placitum est coram ipso, omnibus diebus vitae nostrae. Amen. Orate et pro nobis, fratres, ne longius fatigemur et perturbemur in rebus praesentibus post fratres et patres nostros, sed *ut* citius eos assequemur cum mercatura, sine confusione. Imprimis orate, ut voluntas Domini nostri in nobis perficiatur. Gratia Domini nostri sit vobiscum et nobiscum. Amen.

XV. — Eiusdem ad Sergium, sacerdotem et doctorem monasterii patris nostri Mar Abraham interpretis.

Christum colenti Rabban Mār Sergio, presbytero et doctori: Timotheus minimus servorum Domini castitatem tuam veneratur et orationem tuam petit.

Par [2] epistularum tuarum ad nos advenit, o frater caste, et ex ambabus communicationibus cognovimus, quid nutus dispensationis Domini nostri apud vos disposuerit. De gaudio vestro valde gavisi sumus, Deumque laudavimus. Et oramus gratiam eius adorandam, inconcussam faciat pacem vestram, ut se extendat per longos dies. Inprimis det vobis virtutem, ut possitis placere voluntati eius per opera virtutis omnibus diebus
p. 119. vitae vestrae. *Postea removeat et avertat a vobis omnia, quae cursum pietatis in vobis impedirent et prohiberent, et cum res

[1] Cf. *Ps.* XXII, 2. — [2] « ζεῦγος ».

die resurrectionem docebant? Nonne omni hora beatitudinem et iudicium meditabantur et docebant? Nonne res quidem terrenas tamquam speculum, aenigmata, somnia quaedam, illusiones nocturnas, futuras autem tamquam viam, veritatem et realitatem habebant? Nonne cum Trinitate unica docebant esse hic pauca, illic autem plura quae digna sunt, seu potius quae possunt creaturis accidere? Ne ergo nimis augustiemur, neque contristemur. Sed aemulemur exemplum patrum nostrorum secundum fidem et mores eorum. Respiciamus Iesum Christum, qui caput et perfector fidei nostrae factus est. Procedamus in semita mandatorum eius secundum typum, quem nobis fixit. Archetypus enim vitae nostrae et causa omnium bonorum nostrorum Iesus Christus est. Nos enim patres nostros propterea amamus et diligimus, quod ad directorem vitae nos direxerunt. Minime ponamus fiduciam in vita nostra neque in prosperitate rerum mundanarum. Credamus [1] . . . . . magis quam his *rebus*. Incessanter sit cura nostra unica, ut Deum colamus *et diligamus tamquam creatorem et tamquam benefactorem. Solliciti simus ut puri, incolumes et inoffensi, coram ipso ambulemus. p. 117.

Dominus enim instat et prope est [2]. Didici enim, Iesum Christum heri et hodie eundem et in aeternum esse [3], apud nos et nobiscum esse, secundum suam promissionem, usque ad finem mundi [4]. Post haec augeamus labores amoris sapientiae nocte ac die.

Pugnatrix [5] est scientia Dei, cognitio veritatis, et ab otio et vanis . . . . . [6] pulchram perducit. Ita praeparemus nosmetipsos omni tempore, cum angeli post nos missi sint, qui nos ducant. Ita stemus in moribus nostris, ut in mundo venturo non recedere debeamus a doctoribus nostris et ab angelis lucis, cum quibus et inter quos *illi* gaudent, et maxime ne *pudore* confundamur coram tribunali Christi, ubi omnia secreta nostra patefient et probabuntur.

Tu, Mār Sergi, frater noster, sta in loco tuo tamquam super adamantem, immo tamquam super lapidem angularem pretiosum, qui positus est in ruinam multorum et in resurrectionem, vel in resurrectionem multorum et in ruinam [7]. Serva in teipso

[1] Lacuna unius aut duarum vocum. — [2] Cf. *Phil.*, IV, 5. — [3] Cf. *Hebr.*, XIII, 8. — [4] Cf. MATTH., XXVIII, 20. — [5] Vel « adductrix ». — [6] Lacuna aliquot vocum. — [7] Cf. LUC., II, 34.

Intervallo autem inter mortem et resurrectionem eodem modo ac in corpore foetus habitant omnes animae. Paradisus et locus extra eum *positus* non sunt ille in gaudium, is in
p. 115. supplicium; *sed fingunt uterque locus typum eius qui post resurrectionem futurus est et animabus et corporibus simul. Paradisus enim est typus regni caelorum; pariter locus extra eum *positus* adumbratio exilii [1] extra regnum caelorum est. Sed mors homini decreta est. Atqui homo ex anima et corpore compositus est. Ergo mors simul in animam et corpus regnat. Non quidem pari modo, sed per analogiam, sicut dictum est. Si enim mors in animam et in corpus regnaret, cum ea in quae regnat mors, sensu et scientia destitutos faciat, evidens est animam simul ac corpus sine sensu et sine scientia fore, sive in sepulcro et in inferis, sive in paradiso aut alio loco sint. Neque enim congruit rectitudini iustitiae iudicis et probationi eius, ut eis qui simul peccaverunt et iustificati sunt non aequaliter nec simul retribuat; sed aliis, id est animis iustorum et iniquorum, gaudium et iudicium praesumat, aliis, id est corporibus iustorum et iniquorum ea differat. Sin autem non est gaudium et supplicium, ergo neque scientia gaudii et supplicii, neque memoria malorum praeteritorum; si est cognitio futurorum, et etiam memoria praeteritorum; coram manibus ergo sunt beatitudo et supplicium. Ita quidem post mortem. Post autem resurrectionem, naturam *humanam* in omni gloria vides, praesertim eos qui secundum Deum vixerunt. Cum illis, inter illos et in capite illorum *video* filios Dei, columnas ecclesiae catholicae, lampades fulgentes orbis, stellas
p. 116. rationales et intelligentes; nostros illos cum praeclarissimis *et summis illis Gregorio, Basilio, Diodoro, Theodoro et Nestorio. Cum his ergo et sub tabernaculis lucis eorum eos video. Et si quae ad mortem *pertinent* me affligunt, quae ad resurrectionem, me gaudio afficiunt. Tunc cum induam figuram *hominis* caelestis, sicut indui formam terrestris, illuc alas tendo, illuc tollo volatum, illuc levo mentem et cogitationem, non versus incolatum mundanum. Illic quaero magistros in loco de quo docuerunt. Illic *eos* video in loco de quo meditati sunt et docuerunt. Nonne quotidie ad caelum vocabant? Nonne nocte ac

[1] « ἐξορία ».

tionales et operativae non actualiter apparent, sed virtualiter tantum et sine actu, in ea latent. Et sicut quando in infante in utero est, natura quidem et persona eius distincta existit: intelligentia autem eius, ratio, intellectus et memoria non in actu, sed in potentia tantum ei insunt naturaliter; aut, si vis, sicut in radicibus arbores et plantae, in seminibus spicae virtualiter quidem sunt et exinde in actum procedunt: ita et post excessum eius e corpore usque ad resurrectionem natura eius insoluta et incorrupta servatur; intellectus autem, memoria et omnes eius *facultates* non actualiter in re, sed virtualiter tantum in ea servantur naturaliter. Et sicut in infante *anima* non est sine cognitione et sine intellectu, inde quod non sint perfecta membra sensuum consortis eius, *ita non est p. 114.
sine mente et intellectu post discessum suum, inde quod omnino recessit ab ea consors eius in composito, in quo, e quo et per quem didicit omnes scientias et disciplinas; sed habet quasi in potentia omnem scientiam et omnem intellectum, sicut habebat quando erat in foetu.

Et quemadmodum [ignis] [1] . . . . . dum in lampade est lucens, vim illuminandi et vim calefaciendi, non virtualiter tantum sed actualiter maxime possidet; sed ante lampadem in silice quidem, et post lampadem in aere dum est, tunc non actualiter, sed maxime virtualiter haec possidet; nunquam tamen dicitur ignis non esse calidus nec illuminans, sive actu sive potentia haec habeat: ita et anima, quandiu in corpore habitat et cum corpore est, non virtualiter tantum, sed actualiter potius intellectum et memoriam possidet. Quando autem primum in foetu creatur et postquam olim ab eo egressa erit, dicimus eam scientiam, rationem et memoriam non [2] actualiter, sed virtualiter potius habere, usque dum iterum vestem suam corporalem induerit. Attamen nunquam ⌜sine scientia aut sine intellectu *esse* dicitur, propterea quod non actualiter, sed virtualiter potissimum scientiam, rationem et memoriam habere eam dicimus, donec iterum vestimentum suum corporale induat. Nec unquam [3] dicitur esse sine scientia et sine intellectu, inde quod non actualiter, sed virtualiter scientiam suam possideat, sicut primum in foetu *possidebat*.

[1] Lacuna 3 aut 4 vocum. — [2] Lege ܠܐ. — [3] Repetitio erronea (?).

inanem facio incarnationem Verbi, deificationem humanitatis, passionem et eius clavos crucemque, mortem, sepulturam per tres dies et resurrectionem. Si enim omnes unum corpus in Christo *sumus* [1], in Christo autem domino nostro omnis gloria immortalitatis et incorruptibilitatis resplendet, ergo et in nobis omnibus eadem gloria immortalitatis et incorruptibilitatis resplendet. Si enim nos omnes simul cum ipso plantati sumus in similitudinem mortis eius [2], omnis autem in similitudinem mortis eius plantatus etiam resurrectionis eius particeps est, ergo nos omnes resurrectionis eius participes erimus. Et si omnes passionum Christi participes sumus [3], omnis autem qui passionum eius particeps est, et gloriae eius particeps est, ergo nos omnes magnae gloriae et splendoris Domini nostri participes sumus. Et si magna gloria futura communitatis fidelium est, quanto magis eorum erit et dicetur, qui doctores communitatis sunt et dicuntur. Ita post resurrectionem corporum gloria incorruptibilitatis, splendor immortalitatis, gaudium aeternum et beatitudo infinita *erunt*. Nunc autem in loco mortuorum, id est in inferis et in sepulcro, corpora illa composita non video sine solutione et corruptione, nec intelligo animas illas rationales et a corpore solutas, sine quiete et silentio. Quomodo? Si enim mors de homine decreta est, homo autem ex anima et corpore compositus est, ergo mors de anima simul et corpore decreta est. Mors corporis silentium facultatum [4] et operationum eius est. Similiter et mors animae silentium et quies potentiarum et operationum eius est. Similiter, *inquam*; sed silentium quidem facultatum et operationum corporis fit cum solutione et cor-
p. 113. ruptione eius totali; silentium *autem facultatum et operationum animae contrarium *est*; non enim corruptio et solutio naturae eius est. Etenim sine corpore et sine compositione est. Quod est sine corpore et sine compositione etiam sine partibus est; quod autem est sine partibus, et insolubile et incorruptibile est. Anima ergo et indissolubilis et incorruptibilis est. Sed si non cum corruptione et solutione fit *silentium*, ergo cum conservatione naturae eius. Natura eius numquam perit, sed essentialiter et stabiliter est. Facultates autem eius omnes ra-

[1] Cf. I *Cor.*, XII, 27. — [2] Cf. *Rom.*, VI, 5. — [3] Cf. *Phil.*, III, 10. — [4] In codd. hic ܕܚܝܐ « vitae »; in ܕܡܬܐ emendavi e versu seq.

inquam, aut sicut sol, lampas magna orbis, cuius exitus est a finibus caeli et occasus a finibus coeli [1]. Et ita per columnas illas lucis orbis obtigit nobis, ut lux simus et nominemur ex nomine Christi adorando et altissimo [2]. Per illos habemus libertatem a servitute Aegyptiorum et a Pharao, tyranno molesto. Per illos tamquam per columnam lucis et per nubem ducti sumus. Per illos manna de caelo et coturnice de mari saturati sumus, immo eis *cibis*, qui illis sublimiores et praeclariores sunt, sicut *sublimior est* archetypus typo et corpus umbra. *Per illos p. 111. terram promissam haereditate obtinuimus, non Palaestinam, sed regnum caelorum, haereditatem divinam, gloriam immortalitatis. Hae *sunt* doctrinae horum doctorum, haec dona divina horum *virorum* magnificorum, qui in terris quidem caelesti modo, in caelis autem modo divino, ambulaverunt aut ambulabunt, flores caelestes et germina divina, plantata non secus rivos aquarum, sed in Ierusalem illa caelesti. Hi tales sunt et plus quam tales. Nos autem, qui ab ipsis relicti sumus, quid faciemus? Apud quem et quomodo insinuabimus nos? Et quomodo assequemur verbum illuminationis, cum amiserimus mediatores et largitores eius, magnum illum Abraham, Petion hunc praeclarum, Iacobum hunc admirabilem, patres et fratres in Domino nostro. Sed non omnino amisimus eos, fratres; immo certe invenimus et possidemus eos. Non enim in sepulchrum, sed in paradisum, non in infernum, sed in locum amoenum deliciarum, non in conclave tenebrarum et in inferiores *partes* terrae, sed in caelum potius et in mansionem domus Patris misimus eos: non enim in locum mortuorum, sed in locum viventium misimus lampades nostras. Non respicio sepulcrum, neque video infernos, neque vermem considero, neque tineam aspicio: haec portio mea non sunt, neque sors, quae cecidit super principes. Sed respicio pro sepulcro locum expectationis paradisi, pro inferis thronum magnitudinis, pro tinea immortalitatem, pro verme gloriam magnam incorruptibilitatis. Aspicio, miror et obstupesco de radiis mirabilibus divinitatis, quibus filii haereditatis Dei supernae in Christo Iesu involuti sunt e persona Domini et ex gloria virtutis eius. Non mendacem dico *apostolum, non mendosa facio promissa de resurrectione; non p. 112.

[1] Cf. *Ps.* XVIII, 7. — [2] Alludit, ut videtur, ad IOH., VIII, 12; cf. MATTH., V, 14.

autem accuratam [1] pulcram et lucidam scripsit mihi *esse* litteras eius [2]. Mitte mihi ut *ex*scribam, et remittam. Pariter et *opus* Gregorii Nysseni. Si occurrunt tibi libri rari, qui *alias* non inveniuntur, certiorem me fac. Fortasse enim occurret tibi aliquid, quod mihi ignotum est. Ora pro me. Totam ecclesiam Dei, quae est in Elam, veneror et saluto, praesertim honorabilem Mār Mārdānšāh, principem fidelium orbis. Curam habe fratris nostri Ḥūmānšāh et effinge et forma in eo imaginem virtutis et scientiae tuae. Es enim sculptor peritus. Nestorius, metropolita equitavit veredo in Damascum; Hierosolymis esse dicitur. Nondum enim ascendit. . . . . [3]. Metropolita Sinarum ad Dominum migravit. Si invenis in conventu Novo, — audivi enim ibi esse monachum purum et [4]. . . . .

[XIV. — Eiusdem epistula ad Sergium].

. . . . . (*deest initium*) [5] . . . . . .
. . . . . Mens eius per spiritum omnia illorum accurate effingit. Nos autem, qui post eum *relinquimur*, si cui placet discipulos vocare, aut filios spiritales, aut sodales, aut asseclas, *licet;* sed nescio quodmodo vocabo et nominabo hunc arche-
p. 110. typum virtutis, *exemplar scientiae apud quem, cum congregati essemus [6] illuminabamur, sicut a Domino spiritus, et de gloria in gloriam transibamus: ex hac praesenti et mystica ad illam caelestem et divinam. Et sicut Moses magnus utebatur Aaron, Elias, propheta ille igneus, Elisaeo, aut si vis, sicut Petrus Marco, Paulus Luca aut Timotheo utebatur, ita et praeclarissimus ille noster Rabban Mār Abraham tamquam lingua aurea et labiis plenis scientia, organo illo mirabili, Rabban Pētiōn scilicet, utebatur, stella illa clara et claritatem veritatis adducente. Per illos ergo et ab illis lumen gratiae et donum Spiritus data sunt, haereditas illa superna Dei, *quae* per Christum nobis data erat, quae per ipsos, et ipsorum ope, percurrit fines orbis et in omnes terminos terrae habitatae, cum sole,

[1] Legendum ܡܕܟܝܐ (?). — [2] Locus obscurus. De eadem re agitur infra fol. 349 *v*. codicis. — [3] Vox ignota vel corrupta. — [4] Reliqua desunt. — [5] Ampla lacuna hic exstat; sequentia ad epistulam aliquam consolatoriam pertinere videntur, quam Timotheus ad Sergium doctorem et monachos monasterii Mar Abraham, de morte Pētiōn, magistri et decessoris Sergii scripsit. — [6] Ita secundum emendationem.

omnibus in Huballat: et coepit zūzē colligere pro *expensis p. 108.
suis; ne unum quidem ex his, quae ei hic praeceperam, secum reputavit; adeo ut miser ille iram metropolitae Baṣra et Persarum, qui in Huballat erant, in se excitaverit: illius, quia cum
5 dignitate [1] episcopali sedem eius intraverat; horum, quia terrebat eos et eis minabatur: « Brevi et celeriter anathematizabo Bābai et omnes Persas, qui Huballat sunt ». Accepit autem in seipsum retributionem dignam stultitiae suae. Tunc ergo quando institutus est et cum haec omnia ei in Huballat accidissent,
10 nondum Babai profanum fecerat [2], cum Sarbaziah in se excitaret miser tempestatem ex omni parte [3]. Denique scripsit mihi: « Non prodest mihi episcopatus. In cellam meam redibo ». Scito ergo et nuntia ei, eum profanum et interdictum esse, in verbo divino, ab omni gradu ecclesiastico quem tenet, extra Sarbaziah.
15 Interdictum eius per literas communica in tota provincia sanctitatis tuae. Et si a Satana deceptus in civitatem regiam venit, edere eum faciam *de* mensa, quae non est similis illi *quae fuit* Huballat. Et haec de illius amentia ita *sunt*. Nemo me vivente aut mortuo interdictum eius solvere valeat, in verbo Dei.
20 Misi tibi et alium iuvenem instruendum, Gabrielem nostrum. Ipse quoque artis medicinae discendae valde cupidus est. Trade eum ZISTQ et scholae eius, et iube ut curam *eius* habeat secundum consuetudinem benignitatis tuae. Ad id enim constituit nos Dominus, ut curam pauperum habeamus. Ezechielem
25 misi in monasterium nostrum Mār Gabrielis. Socii enim curam eius omnino recusaverunt. Ora, ut voluntas Dei prosperet per ipsum. Ad Ḥenānīšōʿ et ad Sabrīšōʿ scripsi in canone verbi Dei: *adhuc non habeo nuntium ab eis. Misi ad eos et epistulam san- p. 109.
ctitatis tuae, quae eis omnia bona promittebat.
30 Haec sanctiti tuae cum labore lumborum scripsi. Omnia enim ossa mea vehementia morbi et infirmitatis plangunt. Ora, ut gratiam inveniam per misericordiam Domini.

Opus Eusebii pro Origene sex libris consistit, et ecce inter libros Aprēm *prostat*. Is enim scripsit, et certiorem me fecit
35 de eo, promisitque se missurum esse: sed a fato suo impeditus est. Puto eum in bibliotheca Šūsterīn id invenisse. ⌜Scriptionem [4]

[1] « ἀξίωμα ». — [2] I. e. ad statum laicorum, reduxerat. — [3] Locus obscurus et corruptus, ut videtur. — [4] Legendum حزوا (?).

et erit causa omnium bonorum, eorum quae prae manibus, et eorum quae in spe et expectatione posita sunt, et quae excedunt sensibilitatem sensuum et superant perceptionem mentis, sicut largitor eorum de iis ipse docuit. Insuper audacter ausus sum et orare, ut Dominus noster omnia *opera* praestantia sanctitatis tuae virtute forti brachii sui firmet; omnia offendicula, quae processui tuo pulchro in Domino obstant, ante te plana reddat, oves gregis tuae roboret ad perficiendam voluntatem suam operibus et verbis *per* totum hunc decursum vitae
p. 107. mortalis, *et* nos omnes simul dignos faciat *remissionis peccatorum et earum promissionum, quas in philanthropia sua nobis promisit et pollicitus est. Haec ita *sunt*.

Ḥenānīšoʿ, de quo sanctitas tua scripsit, a nobis titulo metropolitae Sarbaziah [1] ordinatus est, et praecepimus ei secreto inter nos duos: « Nemo te sentiat, usque dum ad sedem, pro qua unctus es, perveneris ». Ita faciendum erat propter crudelitatem et ferocitatem incolarum Pārs. Is autem primo in urbe regia orbis ordinationem suam divulgavit, antequam facta sit. Ego autem statui apud me: Quia inventus est revelator secreti, nunquam imponam ei manum in Spiritu Dei. Tunc ivit et confugit ad quosdam familiares, qui urserunt me precibus: « Noli recordari talis stultitiae eius. Ex impatientia enim, dicebant, *magis* accidit quam ex malitia ». Et cum post longos labores me ad ordinationem eius inclinassem, praecepi ei, ne in urbe regia, aut Baṣra aut Huballat, unam horam maneret, sed sine mora eo, quo missus est, viam suam dirigeret. Dixit: « Opus est mihi expensis ». Respondi ei: « Multi monachi transeunt maria in Indiam et Sinas cum baculo et pera tantum. Reputa te sicut illos cum copia pecuniae mari profectum esse ». Dereliquit mandata mea et duos circiter menses civitatem regiam de domo in domum circumivit. Postea in Baṣra et Huballat descendit, et non sibi persuasum habuit cum modestia in sedem non suam ingrediendum esse. Sed ingressus est cum baculo et mitra [2], tamquam si Sarbaziah ingrederetur. Et coepit Persas probris afficere et *eis* minari et libellos excommunicationis, quos contra Babai anathematizatum scripseram et quos ei legere debebat, postquam Sarbaziah venerit, coepit legere coram

[1] Hodie سربز, in regione Mukrān, antiquorum Γεδρωσία. — [2] « φακιόλιον » fortasse etiam = « ποικίλη », vestimenti genus, pallium.

tur usque ad mortem; pariter eadem sententia sit de eo, qui duas sorores sumit ».

E legibus regum, quae synodis sanctis Patrum se conformaverunt easque receperunt. Lex XIV [1]: « Praecipiunt leges, ne quis uxorem fratris sui uxorem sumat. Et vir, cuius uxor moritur, sororem uxoris, id est duas sorores, ne sumat ». Et post alia [2]: « Vetant insuper leges, ne quis sumat in uxorem filiam fratris sui aut filiam sororis suae, aut sororem patris sui aut sororem matris suae, aut uxorem patris sui aut concubinam [3] patris sui. Si quis audet facere talem rem prohibitam, leges vetant, ne haereditatem accipiant filii aut filiae ei nati e transgressione harum legum. Neque haeredes sint cognati eorum, qui cum eis in transgressione legis participes erant. Neque licet eis, testamenta [4] de possessionibus suis facere easque in haereditatem dare cui volunt ».

Haec sunt summatim leges purae christianitatis. Gratia Domini nostri sit cum observantibus eas usque in aeternum. Qui eas transgrediuntur, extranei sunt a magna gloria regni caelorum usque dum poenitentiam agant et ad Dominum se convertant. Firmi estote *in Domino in fide vestra et puri in p. 106.
conversatione vestra. Orate pro nobis, filii regni caelorum.

XIII. — Eiusdem ad Sergium.

Sancto Dei, fratri nostro, Mār Sergio, episcopo metropolitae ʿElam: Timotheus peccator sanctitatem tuam veneratur.

Legi epistulas sanctitatis tuae, quae afferebant nuntium bonum oboedientiae, inquam, et subiectionis Elamitarum erga leges, mandata et constitutiones divinas, et dabant etiam auditum dulcem et iucundum de ordinatione pastoris sedis Karkā *de Lēdān* (?), quae ex multis diebus praeside privata et spoliata erat; proferebant quoque signa laeta pacis et concordiae, quae inter pastorem et gregem, inter membra et caput eorum spiritale constituta est. Gavisus sum eas accipiens et legens, magis quam Moses magnus in tabulis illis divinis, et secundum debilitatem meam confessionem Deo debitam obtuli, qui est

[1] Congruit cum Bruns-Sachau *Syrisch-römisches Rechtsbuch.*, § 108, ubi additur: « Vidua non potest fieri uxor fratris viri sui ». — [2] Cfr. Bruns-Sachau, *op. cit.*, § 109 et 143. — [3] « παλλακή ». — [4] « διαθήκη ».

Cum autem vobis Elamitis et civibus Bēt Lāpāṭ Dominus animam Deum amantem et mentem liberam dederit, et cum nihil his praestantius et pulchrius sit, ideo et de vobis non immerito dicetur, nihil praestantius esse Dei imagine et figura in vobis
p. 104. *repraesentata. Postquam enim epistulam, quam magnitudini vestrae de legibus divinis et praeceptis synodalibus scripsimus, invenistis, continuo et illico anima Deum amante et mente bona haec accepistis, sicut scripsit nobis cherub ille unctus Spiritu et super vos obumbrans [1], id est sanctus Dei, frater noster Mar Sergius episcopus, metropolita vester. Sicut Iosue, filius Nun et Caleb, filius Iephune, verba Moysis prophetae, ita splendor vester canones patrum et constitutiones accepit. Valde confessi sumus pro vobis Deo, qui incitat in vobis et velle et perficere [2] quod placitum est ante eum, et oramus eum, ut constituat vos coram se perfectos in omni opere bono [3], ut faciatis voluntatem eius, et digni fiatis regno eius, pro quo patimini [4], quod promisit vobis in filio suo dilecto, domino nostro Iesu Christo, qui est Deus super omnia [5]. Quia autem non quidem ratione ignorantiae sed potius ratione scientiae, optatis habere haec medicamenta spiritualia et *scire* qui ex medicis spiritalibus ea mandaverit, quo tempore et quo loco data et condita sint, quae congregatio synodalis ea probavit et tradidit, ecce summatim [6] et breviter vobis damus exemplum aut indicium demonstrativum e iure apostolico, sacerdotali et divino, et e sceptro, corona, baculo et purpura regali.

E canonibus apostolorum, qui per Clementem, adiutorem
p. 105. Pauli apostoli, constituti sunt. Canon XIII: *« Dicunt apostoli per Clementem ita [7]: Aliquem sumere duas sorores, aut filiam fratris aut filiam sororis non licet ». — Eiusdem; canon XVIII: « Qui duas sorores sumpsit, aut filiam sororis uxoris suae [8], non potest fieri haeres christianitatis ».

E Synodo Neocaesareae, quae fuit ante *synodum* CCCXVIII Patrum. Canon II [9]: « Si quis mulier duorum fratrum fit, eiicia-

[1] Cod. « obumbratus est »; cfr. EZECH., XXVIII, 14, 16. — [2] *Phil.*, II, 13. — [3] II *Thess.*, II, 16. — [4] II *Thess.*, I, 5. — [5] *Rom.*, IX, 5. — [6] « κεφάλαιον ». — [7] Ebediesus nisibenus: Qui duas sorores sumit... clericus fieri non potest (MAI, *Script. vet. nova coll.*, t. X, p. 177). Pariter canon graecus XVIII. — [8] Secundum Ebediesu *l. c.*, legendum videtur: « aut filiam fratris vel sororis *in uxorem* ». — [9] Textus graecus formam longiorem praebet.

para, separa pretiosum a vili [1], ut sis sicut os Dei. Unge eum assidue tamquam athletam oleo admonitionis. Instrue eum in agone [2] virtutis et eloquentiae. Noli dare somnum oculis tuis neque soporem palpebris tuis, usque dum inveneris in eo locum
5 Domino et tabernaculum Deo Iacob [3]. Epistulas ad Elamitas lege coram eis patienter et prudenter. Ora pro nobis, ut Dominus nos dignos faciat remissione peccatorum. Cum veneratione salutamus principem fidelium orbis, Mār Mardānšāh, fidelem et nobilem, et totam ecclesiam Dei quae apud te. Anathematizatus
10 est a me per brevem epistulam Maraba [4] et quicumque certat contra sanctitatem tuam.

XII. — Eiusdem ad Elamitas.

Timotheus peregrinus [5] et accola, per misericordiam Dei *servus et minister sedis patriarchalis in urbe regia: populo p. 103.
15 sancto et congregationi redemptae, sacerdotibus simul et fidelibus, qui ad ditionem [6] 'Elam pertinent: pax Domini, omnipotentis.

Nihil pulchrius et formosius est quam anima Deum amans, nihil speciosius et praeclarius quam mens libera. Templum enim
20 Dei est et Sanctissimum maiestatis eius. Inde etiam Paulus, apostolus caelestis, ad quosdam dixit [7]: « Nescitis vos esse templa Dei, et Spiritum Dei habitare in vobis? Et qui templum Dei perdit, hunc perdet Deus ». Antea enim didicerat ex Scriptura, et etiam instructus est a Spiritu sancto et a Christo Domino,
25 qui in eo locutus erat [8]: « Habitabo in eis, dicit Dominus et ambulabo inter illos, et ero eis Deus et ipsi erunt mihi populus ». Audite et illud alterum [9]: « In quem respiciam et *in quo* habitabo, nisi in mansueto et humili spiritus, qui movetur a verbo meo ». Si anima et mens libera templum sane est Dei
30 et Sanctissimum maiestatis eius, sicut dictum est, Deus autem prae omnibus formosus, pulcher, excellens, sublimis et praeclarus est; recte ergo conceditur, quod dictum est, nihil pulchrius, formosius, praeclarius et excellentius esse anima Deum amante et mente libera.

[1] Cf. Ierem., xv, 19. — [2] « ἀγών ». — [3] Cf. *Ps.* cxxxi, 4. — [4] De hoc viro, cf. infra ep. ad Iohannem bar Rabban Bōktīšō'. — [5] « ξένος ». — [6] « πολιτεία ». — [7] I *Cor.*, iii, 17. — [8] *Lev.*, xxvi, 12; II *Cor.*, vi, 16. — [9] Is., lxvi, 2.

Paulo ante primum scripsi, quae valde necessaria et utilia erant, tum sanctitati tuae, tum Elamitis, ut scriberentur: et scio, *haec* iam ad vos pervenisse et vos in ea incidisse. Si ergo et nihil adversi eis accidit, sive per voluntatem liberam eorum, qui dicunt et cogitant [1]: « Labia nostra sunt; quis est Dominus noster? », et [2]: « Omnia facere et dicere nobis licet », sicut apostolus praedicat; sive ex adiunctis externis et adversis, quae accidere et adversari solent, tamen nunc iterum alia scripsi prout scribendum esse ex epistulis tuis didici. Et quamquam non poteram scribere nisi cum multa difficultate et incommodo, morbus enim aliquis oculorum mihi accidit, — qui num ⌜ex motibus iuvenilibus [3] mihi acciderit nescio, et impedit me simul a lectione et a commercio necessario communitatis, — tamen quomodocunque scripsi et misi, quae scribenda erant in negotio ⌜miseri [4], quod sanctitas tua illic valde accelerat. Paulatim et successive *tantum* morbi sanari possunt, qui per tempus longum inveteraverunt et firmati sunt. Inimicus enim sanitatis est morbus, sicut scitis; inimicus quidem et temperamenti et membrorum, in quibus est. Quamquam autem ita inimicus et hostis est naturae simul et materiae [5] in qua consistit, tamen propter diuturnitatem et consuetudinem inimicus ille et hostis quasi
p. 102. amicus inventus est, *et difficile fortasse aut omnino impossibile est, illum abscindere qui destructor et dissolutor constitutionis [6] corporis est. Idem videtur mihi de malo illo *homine*. Inimicus enim est sanitatis communitatis et sui ipsius. Sed vetustas temporis et familiaritas cum membris communitatis morbum eis quasi proprietatem fecerunt, et membra patiuntur alienari potius a corpore, quam a morbo, qui cum eis increvit eisque familiaris est; quemadmodum olim Israel *egit* erga Ieroboam, cum a familia David recederent et familiae Ieroboam adhaererent. Haec sanctitas tua cum sapientia simul et patientia respiciat. Haec ita se habent.

Quae sanctitas tua de Ḥumānšah scripsit, valde auxerunt gaudium meum, et laudavi dominum Deum, qui per sanctitatem tuam ignaros et stultos [7] erudit et malos in bonos mutat. Se-

[1] *Ps.*, XI, 5. — [2] Cf. I *Cor.*, VI, 12. — [3] مع ةّحا ڢاكتسا; sensum intelligere nescio; fortasse legendum ڢاكتسا, congestiones capitis? — [4] Sic e coniectura; codices habent « daemonum ». — [5] « ὕλη ». — [6] « κατάστασις ». — [7] « ἰδιώτης ».

tute [1]. Aliter fortasse et Paulum reiicere debemus, quia de se ipso testatur, se esse rudem in sermone [2]. Ecce pastor vester habet linguam duplicem: atticam [3] illam et atheniensem et spiritalem simul et igneam, quae super apostolos in coenaculo illapsa est. Legite ergo epistulam Ignatii martyris et discite ab eo, quales esse deceat erga episcopos. Quodcunque metropolita in ecclesia mandat, *id fiat, et nemo litiget et surgat contra eum, in verbo Domini omnipotentis. Ipse conservet vos sub protectione misericordiae suae divinae usque in saeculum. Fratres, orate pro nobis. p. 100.

X. — Eiusdem ad Elamitas.

Timotheus, servus et minister sedis apostolicae et patriarchalis in civitate regia: sacerdotibus et fidelibus in civitate fideli et magna Bēt Lāpāṭ: salutem Domini nostri.

« Oboedite praepositis vestris, inquit Spiritus sanctus, et subiacete eis. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris tamquam rationem pro vobis daturi » [4]. Hoc est praeceptum et constitutio Spiritus sancti. Audivimus autem, esse viros ex clericis et ex ordine scholasticorum [5], qui impudenter surgunt contra praeceptum sancti metropolitae et praeter voluntatem eius in ecclesia et schola esse volunt. Praecepimus ergo et constituimus: Si quis clericus impudenter surgit contra metropolitam, non licet ei, in verbo Domini, ministrare in ordine suo, neque communicare sacramentis vivificantibus, antequam metropolitae satis fecerit. Sin autem e scholasticis aut e doctoribus est, qui contra metropolitam contendit, ministrare in aliquo ordine ecclesiastico, accipere sacramenta vivificantia et habitare intra terminos civitatis Bēt Lāpāṭ, in verbo Domini, sine mandato metropolitae ei non liceat. Nemini fidelium licet, in verbo Domini, clam aut aperte huiusmodi rebelles contra metropolitam adiuvare. Estote fortes in Domino et pro nobis orate.

XI. — *Eiusdem ad Sergium. p. 101.

Venerabili et sancto fratri nostro, Mār Sergio, episcopo, metropolitae ʿElam: Timotheus peccator charitatem tuam veneratur.

[1] Cf. I *Cor.*, IV, 20. — [2] Cf. II *Cor.*, XI, 16. — [3] « ἀττικός ». — [4] *Heb.*, XIII, 17. — [5] « σχολαστικός ».

norum et magorum abolita sunt, etsi mille mandatis [1] regum firmata et stabilita erant. Sin autem bona et probanda sunt, decet ut constituantur et recipiantur, etsi nemo ea movit et firmavit, praesertim si splendent laudibus iustorum et proborum et si coronata sunt virtute scripturae sacrae. Rursum, si quis sculptor statuam vel imaginem, *si quis* faber portam vel sedem aut nunquam aut male sculpsit seu fabricavit, inde ergo lex universalis erit sculptoribus et fabris ut nunquam, vel male sculpant seu fingant? Num forte alios quidem tanquam negligentes et semper otiosos, alios vero tanquam rudes et imperitos gaudere sinamus deceat? Ceteros vero *nonne* decet et congruum est, cum cura et peritia, alios imagines et statuas, alios portas et sedes fabricare et fingere, dum potius versus exemplar et archetypum, et non versus artem malam aut nullam quorundam, respiciunt et agunt? Pariter et nosmetipsos maxime decet ad *prototypum evangelii, magis quam ad quosdam homines, quicumque sint, respicere, et huic cogitationem verbum et opus conformare. « Quis enim est Paulus [2], aut quis Apollo? » Servi enim vestri sumus propter Iesum Christum. State ergo in libertate, qua Christus vos liberavit, viri fratres. Nolite vos submittere iugo servitutis [3] passionum mortalitatis, et libertas vestra non sit causa carnis et sanguinis. Caro et sanguis enim non possunt hereditate accipere regnum Dei, neque corruptio hereditate accipit incorruptionem [4]. Cum his oramus vos, ut inclinetis aurem et auditum sancto Dei, metropolitae vestro [5]. Praestans enim est moribus suis et magister doctrina sua. Plus quam quadraginta annos habet, quos ministrat opus doctrinae in ecclesia Dei, et dignus factus est, qui cathedram doctrinae teneat et ministret post angelum illum lucis, patrem nostrum Abraham magnum. Ne spernatur in oculis vestris, neque conviciatur, quia hominibus placere nescit. Si enim hominibus adhuc placeret, servus Christi non esset [6]. Respicite illum tamquam Christum, et quanto est humilior, tanto maior sit reverentia vestra erga eum. Recordamini humilitatis ineffabilis Christi, qui principem [7] huius mundi evertit et destruxit. Regnum Dei enim non consistit in verbo, sed in vir-

p. 99.

[1] « πρόσταγμα ». — [2] I *Cor.*, III, 4. — [3] Cf. *Gal.*, V, 1. — [4] Cf. I *Cor.*, XV, 50. — [5] Sergius erat. — [6] Cf. *Gal.*, I, 10. — [7] « ἄρχων ».

sui stupravit ». Uxorem proximi sui vocat sponsam proximi. Iterum *discimus* ex verbis Gabrielis angeli ad Ioseph: « Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam » [1]. Denuo evangelista testatur dicens: « Duxit uxorem suam et non cognovit eam ». Ecce *hoc dicit*, quamquam eam omnino non cognovit. Ergo sponsa viri uxor eius est, *sive cum ea corporaliter commixtus p. 97.
est, sive non commixtus est. Secundum voluntatem enim, cui merces datur in bonis simul et in malis, iam commixtus est. Quod autem cum sponsa sua corporaliter non commixtus est, fortasse non a voluntate sua, sed a necessitate mortis impeditus et prohibitus est. Voluntati autem potius quam operi, mercedem dari, Deumque eam magis respicere quam opus ipsum, demonstrat nobis vidua illa, quae per duos quadrantes iustificata est [2], et latro, qui in cruce regni heres factus est [3], et aspectus impurus in mulierem, sicut Dominus dicit: « Qui mulierem aspicit ut eam concupiscat, cum ipsa fornicatus est in corde suo » [4], et blasphemia latronis qui erat a sinistra. Non ergo licet homini ducere sponsam fratris sui; uxorem enim eius ducit, sicut demonstratum est. Neque licet mulieri, fratri sponsi sui esse; levir enim ipsius est. Neque permittunt canones synodales ut una mulier duobus fratribus, aut duae sorores uni viro adhaereant. Omnes, qui uno ex his modis dictis se inquinaverunt aut inquinant, sub reatu sunt et sub interdicto verbi Dei, usquedum ab his recedant et vasa pura et sancta fiant, apta in usum Domini sui. Pariter si quis poenitentiam facit et ab huiusmodi malis recedit, quicumque poenitentiam peccatorum non accipit, sub interdicto verbi Dei est, et remotus erit a charitate Dei, qui vult ut omnes homines vivant et ad cognitionem veritatis se convertant [5]. Novatus enim solus, destitutus fraterna et humana charitate, *sensu alto et mente p. 98.
superba poenitentibus portam misericordiae clausit.

Sed nemo ex pastoribus, dicitis, tales leges et mandata constituit; quomodo *ergo* innovatis, quae a saeculo nunquam fuerunt? Dicimus vobis, o *viri* admirabiles: non est inquirendum, utrum haec dicta sint, an non, sed utrum pulcra et probanda sint, an non. Si nec pulcra nec probanda sunt, abolenda sunt, etsi decies millies dicta sint; sicut et praecepta paga-

[1] Matth., I, 20, 24, 25. — [2] Cf. Marc., XII, 42 sqq. — [3] Cf. Luc., XXIII, 39 sqq. — [4] Matth., V, 28. — [5] Cf. Ez., XVIII, 11.

ctrina Flaviani et Diodori scribit, sicut apparet a principio eiusdem libri tertii et ex initio libri quarti, quae verba plena sunt apologiae magnae pro Diodoro, quae hic adducere superfluum opinamur, quia infra ea postea adducturi sumus cum canonibus et constitutionibus patrum, quae matrimonium cum duabus sororibus prohibent et vetant.

Sīn autem non Diodorum et Basilium, sed eos, qui sunt e Bet Rabban [1], capita fidei nostrae vocas qui alii ita, alii aliter interpretati sunt illud: « Mulierem super sororem eius non accipies, neque opprimes, neque revelabis nuditatem eius contra eam, dum vivit » [2], et hic scire decet, magistros non inter se litigasse. Ioannes enim e Bēt Rabban [3] sensum huius verbi
p. 96. secundum consuetudinem legalem declarans dicit, iis qui sub lege *erant* licitum *fuisse* duas sorores sumere, non autem iis qui in evangelio vivunt, qui legi eiusque conversationi iam mortui sunt, Christo autem et regno caelorum vivunt. Alii autem doctores secundum vim strictam foederis in Christo verbum interpretantes, ne quis duas sorores sumat, omnino prohibuerunt. Neque decipiat nos, quod in fine additum est « dum vivit », ac si non quidem dum vivit sumere non liceret, sed post mortem eius sumere liceret. Primo, quia communiter ubicunque *lex* nuditatem revelare vetat, de matrimonio agitur; si [4] ergo quis sponsam fratris sui ducere velit, sponsa autem, sicut dictum est, uxor sponsi est, is qui sponsam fratris ducere vult, eius uxorem ducere vult, quod turpe et illegale est. Sponsam viri eius uxorem esse, discimus primo ex veteri lege Moysis. Dicit enim: « Ambo nudi erant, Adam et uxor eius, et non erubuerunt » [5], uxorem Adam vocat eam, quam post multum temporis per concubitum cognovit. Iterum dicit in libro quinto: « Si est puella virgo, sponsa viri, et invenit eam alius vir in agro [6] et dormit cum ea, lapidate eos lapidibus et moriantur, puella, quia non clamavit, vir, quia uxorem proximi

[1] Monasterium Bēt Rabban a monacho Zekāīšō' in regione Dāsēn circa annum 600 extructum est. Cf. Thomas Marg., *Hist. monast.*, ed. Budge, II, p. 39; 213 sqq.; Hoffmann, *Auszüge aus syr. Akten Pers. Märtyrer*, p. 206. — [2] *Lev.*, xviii, 18. — [3] Iohannes sub catholicis Iosepho I et Ezechiele, altero dimidio sacc. vi floruit. Ebediesu Nisib. (cap. lxi) inter scripta eius commentarium in Leviticum recenset. — [4] Hic lacuna esse videtur. — [5] *Gen.*, ii, 25. — [6] Lege: « in civitate »; *Deut.*, xxii, 23 sq.

dorus, magna illa lampas ecclesiae, mare et abyssus scientiae, non erubuit nec arduum habuit, *a beato, omni benedictione p. 94.
digno Nestorio, corrigi et vituperari de quacumque causa noxia, quamquam *is* discipulus et receptor sententiarum eius erat, quanto minus Diodorus aegre tulisset a Basilio in talibus corrigi et vituperari. Magnum enim discrimen est inter sententias et theorias circa verba scripturae et canones constitutionesque quomodocumque constituta. Illae enim ad coetum omnium doctorum pertinent, et omnes secundum mensuram intelligentiae *eas* tradunt; quae autem ad canones et constitutiones pertinent, omnia immobilia sunt. Res, de quibus magnus Diodorus vituperatus est, ad canones et constitutiones ecclesiasticas pertinent, quas ullo modo commovere nemini licet; de quibus autem magnus Theodorus reprehensus est, ad interpretationem et elucidationem scripturae pertinent, quam literis mandare et tradere nemini vetitum et prohibitum est, sicut ex prioribus patribus videri potest. Qui quamquam sensum et mentem *scripturae* quomodocumque tradiderunt, tamen *libri* posteriores de eisdem rectius scripti sunt. Haec quidem dico, non admittens — absit! — Diodorum magnum quomodocumque lapsum esse, sive in rebus scientiae sive quoad praxim. Dixi enim antea: concedamus factum esse quod factum non est. Diodorum, magnum illum in omnibus et praeclarum, tali accusationi non subesse, primum testem ipsum Basilium vocamus. Dicit enim in epistola illa ad magnum Diodorum: « Videtur mihi aliquis personam [1] tuam astute induisse, et ita se auditoribus fide *dignum facere voluisse » [2]. His *verbis* sanctus et magnus Ba- p. 95.
silius pro athleta Diodoro vere apologiam facit. Et sane nemo Basilio obiiciet, eum subiectum fuisse blandimento aut studio erga Diodorum, cum nunquam Iuliano et Valenti blanditus sit. Habemus deinde hac de re testem fide dignum Theodorum magnum illum, multae scientiae et virtutis. In libro enim tertio operis sui, quod de perfectione morum vocat [3], circiter versus finem, cum eos nominet, qui fideles de perfectione morum docent et qui Mesallianos propter malam fidem et turpes mores perfodiunt, stellas illas lucidas asseclas Flaviani et Diodori commemorat. Totum enim ferme librum hunc tertium ex do-

[1] « πρόσωπον ». — [2] Cfr.: *P. Gr.*, t. XXXII col. 621. — [3] Cfr. Ebediesu Nisib., cap. XIX (*B. O.*, III, 1, 43).

sensus sermonis, — illic quoque sciendum est, magnum Basilium sancto et fortissimo Diodoro de hac re scripsisse, pari quidem zelo motum pro canone apostolico et paterno, qui matrimonium cum duabus sororibus vetat, qui primo ab apostolis per Clementem datus, deinde a congregatione synodali Neocaesareae confirmatus est, praesente sicut mihi videtur, Gregorio thaumaturgo, et pro ipso Diodoro fortissimo; et dum apologiam pro eo facit, contra Diodoro insidiantem sagittam acutam accusationis inanem reddit, sicut scientia tua magna ex epistula Basilii ad Diodorum [1] cognoscere potest. Diodorus autem magno 10
Basilio de hac re nihil scripsit; aut si scripsit, non iam extant scripta. Sed concedamus eum scripsisse. Quid ei Basilio scribendum erat? Utrum duas sorores esse ducendas, an contra-
p. 93. rium huic oppositum? Si illud prius aliquis dicat, *quomodo
non contra canonem apostolicum et synodalem surrexisset 15
Diodorus? Quis autem de Diodoro, advocato [2] prae omnibus et patrono apostolorum, credat eum canones apostolorum solvisse et despexisse? Aut canones nesciens contra eos surrexit, cum pro legibus et constitutionibus patrum pugnare vellet? Hoc absurdum est et non locum habet apud hominem illum Dei 20
Si inscienter contra eos surrexit, quis est, cui ex prioribus et posterioribus sors scientiae et sapientiae plus contigit quam magno Diodoro? Qui enim dicit Diodorum litigantem de hac re Basilio scripsisse, cum matrimonium cum duabus sororibus concederet, Basilium quidem, fulgentem illam stellam ecclesiae, 25
advocatum apostolorum et constitutionum eorum facit, Diodorum autem adversarium eorum et oppugnatorem, si alter, secundum constitutiones apostolorum, vetat et prohibet ne quis duas sorores ducat, hic autem contra haec iubet duas sorores esse ducendas. Hoc de Diodoro non tantum dicere, sed vel cogitare 30
si absurdum est, ergo Diodorus Basilio non scripsit duas sorores esse ducendas. Ego autem recte concludo: etsi forte Diodorus aliquomodo de hac re prius scripsisset, — concedimus factum esse quod factum non est, — et postea Diodorus in Basilii argumenta incidisset, hanc *suam sententiam* plane 35
mutasset. Quomodo hoc non *fecisset* ille, qui ad eum mittebat scripta sua [3] in testimonium et emendationem? Si autem Theo-

[1] Basilius, ep. CLX; *P. Gr.*, t. XXXII col. 621 sqq. — [2] « συνήγορος ». [3] Cfr. Basil., ep. CXXXV, ad Diodorum (Teodorum) presb. Antiochenum. *P. Gr.*, t. XXXII, col. 571.

VIIII. — *Eiusdem ad Rabban Peṭīōn. p. 91.

Rabban Peṭīōn sacerdoti et doctori: Timotheus miser, in Domino salutem.

Non novi *illa* capita fidei nostrae, quae de matrimonio cum duabus sororibus inter se litigaverint; neque tempus eorum, et mutuam eorum litem, de quibus castitas tua tamquam de re manifesta scripsit. Si enim Petrum et Paulum capita fidei nostrae dicis, qui ministri magis quam principes fidei nostrae sunt, — caput enim aut consummator fidei nostrae Iesus Christus unus est, — et si litem aliquam inter eos ortam in mente habes, primo non de matrimonio cum duabus sororibus inter se litigaverunt, sed de recta praedicatione evangelii, ne quid observantiae legalis in eo fiat. Paulus quidem eam semper et coram omnibus accurate praedicabat et docebat, Petrus autem cum obsequio et sine rigore, neque semper et coram omnibus hoc faciebat. Deinde et non novimus eos inter se litigasse. Sed Paulus quidem vituperavit, Petrus autem vituperationem optimo animo accepit. Lis quidem fit, si duo principes adversarii sibi occurrunt; sin autem alter se fortem praebet, alter se submittit, hoc rixa non dicitur [1].

Sin autem non Petrum et Paulum, sed Clementem et apostolos eius temporis capita fidei nostrae dicis — ecce et illi antiqui inter alias constitutiones, non licere, ut duas sorores in matrimonium ducant, statuerunt, sicut mox ipsorum verbis demonstrabimus, — nemo omnino demonstrare potest, fuisse homines, qui constitutiones illius temporis accipere litigarent, *sive de matrimonio cum duabus sororibus, sive de ceteris canonibus editis. p. 92.

Sin autem capita fidei nostrae synodum Neocaesareae *habitam* dicis, quae fuit ante synodum celebrem CCCXVIII *Patrum*, [2] quae pariter prohibuit et vetuit, ne duo fratres unam uxorem sumerent, neque duae sorores unius viri sint; sed neque audimus, tunc homines de hac aut alia constitutione, illic definita, inter se litigasse.

Sin autem capita confessionis nostrae magnum Basilium et sanctum Diodorum dicis, — non enim manifestus est nobis strictus

[1] Cfr. *Act.*, xv, 20, 29; *Gal.*, ii, 11 f. — [2] Ita Syri synodum Nicaenam nominare solent.

optimos logicos et rhetores. Nobis autem magis inconcussae sunt notiones singulares, non solum propter rationem universalium, sed et propter earum resurrectionem et resuscitationem. Hae sunt sententiae nostrae tales et tantae de castitate tua. Quae sit ratio privationis commercii tui nobiscum, id cogitare et dicere tuum magis quam nostrum est. Non enim festinanter sententiam proferemus nos, quos decet magis inquisitione et per-
p. 90. scrutatione quam sine accuratione quidquid dicere *aut facere.

Curam habe cellae omni diligentia, et curam et custodiam eius magis tibi ipsi quam aliis crede simul die noctuque. A te enim et ex manibus tuis *id* requiritur a Christo et a nobis. Curam habe et fratrum scholasticorum, tamquam pupillarum oculorum tuorum. Excita te ipsum et illos ad studium doctrinae et timoris Dei et omnium *virtutum* in te ipso exemplum monstra. Vade ad abbatem monasterii QṬ', et mitte nobis per virum fidelem et integrum omnem suppellectilem, res et libros, quae apud eum *sunt*. Ecce, scripsi ei, ut mittat. Mitte nobis et baculum, qui apud eum *est*. Omnes res, quas missurus es, scribe in libello singillatim. Habemus enim apud nos eorum consignationem. Esto fidelis in Domino. Nuntia mihi, quid factum sit de Rabban Petiōn. Ora pro nobis. Epistulas nostras ad Rabban Petiōn, — nescio quomodo dicam [1], — mitte ei diligenter sine mora. Certiorem me fac de omnibus rebus, quae apud te *fiunt*, quid factum sit de Eusebio et quo pervenerit, quid fecerit Dādīšōʿ anathematizatus et ubi habitet. Noli abrumpere commercium tuum a nobis. In fine mensis octobris, tribus diebus successivis ad regem nostrum victorem intravi et cum gaudio et hilaritate ab eo susceptus sum; et mihi tribuit octoginta quattuor millia zuzarum monasterii Mar Pēṭion. Adhuc autem non accepimus. Rex noster profectus est Baṣra; ego autem in mentem habeo, eum sequi. Abbati *monasterii* patris nostri *Abraham* dic, ut non cunctetur ad nos descendere. Pariter et abbati *monasterii* Mar Iaunān *dic*, ut mittat tributum suum et quod scripsi ei. Epistula metropolitae et Simonis episcopi Bēt Bagāš mittantur per satellites, qui in eorum regiones eunt. Ora pro me.

Fortasse pro ܐܝܟܡܐ legendum est ܟܝܟܡܐ « quomodo se habeat ».

dicitur, talem secundum consuetudinem et harum similia; sicut enim non similes esse facies faciebus, ita nec corda cordibus, dicitur et creditur, — decretum [1] quidem sapientae est. Si autem non illud primum sed illud secundum est, seu ex defectu, etiam talis erit sententia spiritus seu mentis nostrae: Quem salutant et tacet, ille est fraudator magnus. Si ergo nos te salutamus, tu autem ad silentium pythagoreum confugeris, cum qui huiusmodi est, magnus fraudator sit, ex his concluditur te magnum fraudatorem esse.

Incidis fortasse sub syllogismos [2] istos privativos et privationis. Quomodo? Rabban Sergius salutationem non reddit; atqui, qui salutationem non reddit fraudator est; ergo Rabban Mār Sergius fraudator est. Fraudator autem alius quidem est totalis, alius vero specialis et partialis. Ille igitur Rabban Sergius fraudator totalis et partialis est. Quomodo? Si quidem Rabban Sergius catholicum fraudat, catholicus autem universalis est, ergo Rabban Sergius fraudator magnus seu totalis est. Sed sub illud « totalis », necessario etiam « particulares » veniunt, ergo Rabban Sergius fraudator totalis *simul et par- p. 89.
tialis est. Attamen non est nobis, ut castitatem tuam in his vituperemus. Neque enim solem nigri coloris aut sphaeram [3] quadrangularem [4] dicimus. Pariter neque castitatem tuam in his vituperamus. Quomodo enim eum, qui imago viva *est* et rationabilis omnium bonorum, qui doctor et factor *rerum* caelestium simul est et ab omnibus agnoscitur, qui sicut pluvia terrae animabus hominum potum praebet, qui stillas sapientiae et guttas eloquentiae semper in corda stillare facit eaque a malis purgat, bonis implet et conserit, — quomodo is, qui talis est et erit, fraudator magnus aut parvus dicetur? Si enim Rabban Sergius doctor es, omnis autem doctor et dator est, ergo Rabban Sergius largitor est. Nullus autem dator et largitor fraudator est et dicitur, non ergo fraudator est Rabban Sergius; quod demonstratum est ex hac demonstratione necessaria. Et etiamsi propositio [5] assumpta est characteristica personarum; assumuntur autem aliquando ipsae notiones singulares in demonstrationibus logicis. Quomodo? Quemadmodum sol unicus, aut aer, aut quidquam aliud e singularibus. Et ita quidem apud

[1] « ψήφισμα ». — [2] « συλλογισμός ». — [3] « σφαῖρα ». — [4] « τετράγονος ». — [5] « πρότασις ».

ctionem habuit et monasterium suum reliquit. Venerunt ad me fratres eius, et rogaverunt ut scriberem beatitudini tuae, ut
p. 87. convocata abbatissa et moniali eas inter se reconciliares, *ita ut soror illa in monasterium suum redeat. Dignare frater, huius rei curam habere. Fac inter eas pacem, ut soror illa Ḥannānā in cellam suam ingrediatur. Certiorem me fac per litteras, quid in re eius facturus es. Christus conservet sanctitatem tuam incolumem. Salutamus venerabilem principem fidelium orbis, Mar Mardānšah, cum veneratione, et omnes fideles vestros. Diligenter et constanter doce servum tuum Ḥūmānšāh in timore Dei, ratione et scientia scripturarum.

VIII. — Eiusdem ad Sergium.

Sancto Dei, fratri nostro Mār Sergio, episcopo, metropolitae 'Elam: Timotheus peccator sanctitatem tuam veneratur.

Si pulchritudini sapientiae tuae persuasum est, amorem nostrum ab initio e causis et passionibus humanis existentiam cepisse, et nunc etiam passionibus humanis solvi potest. Sin autem exactitudo investigationis tuae scit, amorem nostrum non passionibus et causis humanis extitisse, etiam certo scire debet, mutuum amorem nostrum nunquam per passiones humanas scindendum et dissolvendum esse. Sanctitas enim tua nobis carior et venerabilior est quam totum genus naturale et cognatio humana. Idem enim est genus vestrum et nostrum, quod e caelo et spiritalibus vim existentiae sumit. Et nunquam persuasum habebo et *ad id* venturus sum, ut cum terra caelum, cum familia corporali spiritalem commutarem. Recordor enim illius, qui dixit: « Quae est mater mea et qui sunt fratres mei, nisi ii qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in caelis *est* » [1]. Pulvis enim, qui sub calceis *tuis* erit, altior, pretiosior et sublimior oculis meis erit quam omnia *pretiosa mundi. Si revera [2]
p. 88. eo quod alii quidem fideles, alii autem infideles sunt et videntur, quoad depositum quod in manibus eorum positum est, — non enim singulorum et omnium unam eamdemque ποιότητην seu qualitatem esse videre est, sed aliorum talem, aliorum diversam: talem secundum qualitatem animae insitam, quae ἕξις est et

[1] Cfr. Matth., xii, 46 sqq. — [2] Quae sequuntur ad verbum damus; sensus nobis obscurus, et textus fortasse corruptus.

stantem in factis laudabilibus det. Ipse enim est initium, medium et perfectio omnium praestantium operum. Et haec ita *se habent*. Fratres, ad quos scripsimus, Ḥenānīšōʿ, Išōʿraḥmeh et Išōʿsabran venerunt quidem ad nos in urbem regiam, minime autem se subiecerunt, ut ad ditionem [1] vestram reverterent. Opinantur enim vitam dependere magis a regione quam a Deo, et ab äere magis quam a creatore et motore äeris.

Se excusaverunt modo de vestimentis suis, modo de incapacitate, modo de aliis *rebus*. Išōʿ sabran indicavit mihi, se nunc quidem redire non posse, brevi autem ad nos et ad te reversurum esse. Išōʿ raḥmeh *regimen* monasterii Rabban Abraham omnino abdicat. « Ego sum debilis, infirmus et aegrotus, et non est mihi sufficientia, *inquit, ad hunc locum ». Ita nunc p. 86.
res se habent. Curam habe Ḥūmānšāh, non quidem in rebus corporalibus, sed in spiritalibus et rationalibus; educa eum in virum perfectum quoad speculationem [2] et quoad praxim. Servus enim tuus est in aeternum. Salutamus ecclesiam Dei in ʿElam. Speciali modo veneratio et salutatio illustrissimo et venerabilissimo Mārdānšāh, principi fidelium orbis, offeratur. Vale in Domino et ora pro nobis.

VII. — Eiusdem ad Sergium [metropolitam] ʿElam

Sancto fratri nostro, Mar Sergio, episcopo, metropolitae ʿElam: Timotheus peccator caritatem tuam veneratur.

Quotiescumque nuntium conversationis invenio, sine impedimento et pigritia sanctitati tuae scribo. Si enim nobis praesentibus et silentium solvimus et sermonem honoramus — non enim aspectus tantum vultus et personae gaudio nostro sufficit, sed addimus verbum quoque affabile, quo laetificamus [3] animam: sicut enim vultu vultum, ita etiam verbo animas laetificamus: eo enim revelationi rerum secretarum studemus, — quanto magis ergo nobis absentibus sermonem plus quam silentium honorare debemus, sive causa est, sive etiam praeter causam.

Causa autem conversationis nostrae praesentis haec est. In civitate Bēt Lapaṭ est monasterium, quod dicitur DBNWG [4], in quo est monialis [5] nomine Ḥannānā. Haec aliquam contradi-

[1] « πολιτεία ». — [2] « θεωρία ». — [3] Lego ut supra, ܡܚܕܝܢ ܢܦܫ. — [4] Vel BNWG. — [5] Ad verbum: « filia foederis ».

VI. — Eiusdem ad Sergium metrop. [civitatis] Bēt Lāpaṭ.

Fratri nostro et comministro, sancto Mār Sergio, episcopo, metropolitae ʿElam: Timoteus sanctitatem tuam veneratur et orationem tuam quaerit.

Cum desiderio spiritali scripta sanctitatis tuae accepi et sicut terra sicca et concussa, quae aquam quaerit, ita et mens mea notitiam claram de rebus vestris expectaverat. Quia enim natura mortalis vicissitudinum capax est, et tunc ab his, tunc ab aliis vexatur et impugnatur, ideo quia eadem natura vestiti et involuti estis, continuo propter vos patiebar et dolebam. Sollicitus enim eram et cogitabam: estne immunis a vicissitudinibus vexantibus, an non? Ideo oculi mentis meae cum anxietate spectabant et expectabant responsum vestrum. Quod cum acciperem et lineas et versus eius perscrutarer et cum sensu verborum et significatione familiaris fierem, valde gavisus sum, et Dei misericordiam amplius confessus sum. Quasi non fuissem valde procul a sanctitate tua, sive cum in itinere terra marique incederes, — quando quidem per diem a sole non laedereris et per noctem a luna non vexareris aut affligereris [1] propter providentiam et curam Dei de te, qui angelis suis sanctis de te mandavit et *eos* monuit, ut super manus te sumant, ne
p. 85. pes tuus lapide omnino offendatur [2], — sive *cum ad portum [3] perveniretis, ut ita dicam et tempestatem [4] quiete permutaretis et in tranquillitatem solveretis aestum maris [5] et mare sicco [6] permutaretis, quando quidem siccum vobis fuit tamquam mare quoddam humanum; sed prope eram secundum mentem et intellectum, et videbam et cognoscebam quae fiebant, et delectabar ipse quoque de festo, et plenus eram Deo et gaudio spiritali; et considerabam in figura et adspiciebam archetypum illum, cuius omnia *sunt* et propter quem perficiuntur et fiunt. Et si, postquam litteras tuas legimus iam realiter his interfuimus, tamen secundum adumbrationem phantasiae [7] iam antequam in librum tuum incideremus, *eis* participavimus. Et rogamus tamquam peccatores et debiles, ut Dominus noster, qui in vobis opera bona coepit, operi vestro perfectionem prae-

[1] Cf. *Ps.* cxx, 6. — [2] *Ps.* xc, 11. — [3] « λιμήν ». — [4] « χειμών ». — [5] « σάλος ». — [6] Sic iuxta propositam emendationem. — [7] « φαντασία ».

V. — Eiusdem ad Sergium, metropolitam ʿElam.

Sancto Dei, fratri nostro Mar Sergio, episcopo, metropolitae ʿElam: Timotheus peccator caritatem tuam veneratur teque salutatat.

Non potest fieri iis qui certamen [1] faciunt et certantibus [2], neque iis, qui in bello proeliantur, neque iis, qui naves mari gubernant, neque iis, qui in stadio [3] currunt, ut sine magno labore *et certamine aut coronentur, aut victoriam lucrentur, p. 83.
aut serventur aliosque servent. Pariter neque medicis corporalibus et spiritalibus possibile est, ut sine magno labore et sudore illi a corporis, hi ab animae morbis liberare possint. Difficillimum autem est a torpore animae et perditione liberare.

Ita et tu, o sancte Dei; et laboriosum est certamen et difficile. Sed memor esto, eius etiam esse coronam. « Si educis pretiosum e vili, sicut os meum eris », dicit Dominus [4]. Scripsimus ergo Elamītīs ea, quae decent. Lege coram eis scriptum nostrum, instrue et mone eos, ne ab auditu eius externo *statim* declinent, sed usque ad finem et terminum eius sustineant. Finis enim responsionis in summa loquitur sapientiam. Tu indesinenter doce, argue, mone, increpa, consolare, robora, hortare, confirma in spem poenitentiae. Esto ignis contra peccatum et tamquam ferrum scalpens lapides. Verba tua sapientia et gratia condita sint. Ante omnia in te ipso bonum exemplum praebe [5]. Esto archypus virtutum omnibus, qui te vident, ut in te et propter te pater noster, qui est in caelis, glorificetur. Ex tota anima scholae curam habe. Memor esto, ipsam filios ecclesiae gignere et educare. Curam habe educationis fratris nostri Kūmānšāh, et maxime ante omnia timorem Dei doce eum et instrue eum in scripturis et doctrinis laudabilibus. Fratribus Ḥenānīšōʿ et Išōʿsabran iterum scripsimus et quidem in canone verbi Dei. Praeter id enim, quod non placet eis venire, et Atorāyē eos includunt (?) [6]. Vale in Domino et ora pro nobis. Salutatio nostra cum veneratione detur magno et venerabili Mardanṣah, *fideli et principi fidelium orbis, et omnibus fidelibus. p. 84.

[1] « ἀγών ». — [2] « ἀγωνιστής ». — [3] « στάδιον ». — [4] Ier., xv, 19. — [5] *Tit.*, ii, 7. — [6] Legendum existimo ܡܬܚܙܝܢ ; cod. ܡܬܚܙܝܢ « reputant ».

eos, qui vocati sunt filii Dei. Haec quidem longiora sunt ratione epistulae, multo autem breviora prae desiderio mentis meae et *copia*, quam natura rerum propositarum postulat. Haec ita sint.

Habetis apud vos cherubim, qui strenuus est et protegit. Loquor de sancto Dei, fratre nostro Mar Sergio, episcopo metropolita, viro docto, sapienti, iusto, casto et illustri, qui in terra est imago divina et caelestis. Accedite ad illum, et illuminamini et facies vestrae non confundentur [1]. Omnia, quae dixerit vobis servate et facite. Ne despiciatur a vobis, nec contemnatur. Praeclarus enim est in rebus visibilibus, multo autem maior et praestantior in rebus intellectualibus. Pretiosa est persona eius visibilis et exterior; multo sublimior, pretiosior et praeclarior est persona eius abscondita et interior. Suavis est sermo et vox eius, sicut auditis; multo autem suavior et iucundior est oratio eius secreta coram auribus Dei. Nihil enim est inter orationem eius et aures Dei. Honorate eum verbis et operibus! Oro
p. 82. vos per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam et Deo acceptam in servitio rationabili. Nolite assimilari huic mundo, sed immutamini in renovatione mentis vestrae. Et distinguite qualis sit voluntas Dei bona, accepta et perfecta [2], ut digni sitis regno, pro quo patimini. Tribulatio enim huius temporis, etsi parva et levis, gloriam magnam et infinitam in saecula nobis parat, qui non gaudemus de visibilibus, sed de invisibilibus. Visibilia enim temporalia, invisibilia autem aeterna sunt. Quibus delectari detur vobis per gratiam et misericordiam Iesu Christi, domini nostri, per quem et cum quo Patri [3] et Spiritui sancto omnis gloria, potestas, honor et exaltatio, et super ecclesiam eius mericordiae et gratia eius sint in saecula.

Fratres, orate pro nobis. Dominus prope est [4], venturus super nubes caeli cum virtute et magna gloria angelorum suorum. Regio aut locus [5] neminem superbum reddat: unicus enim est rex regum et dominus dominorum, Deus omnipotens.

[1] *Ps.* XXXIII, 6. — [2] *Rom.*, XII, 1, 2. — [3] Codd. addunt perperam « et Filio ». — [4] *Phil.*, IV, 5. — [5] « τόπος ».

potius quam alios ex eo delectationem capere decet. Sin autem non bonum sed malum est et creditur, nobis pariter et ceteris fugiendum est. Nonne, o admirabilis, si denarii et margaritae a benevolo aliquo distribuerentur, non ultimus, aut posterior, p. 80.
5 sed primus potius esses eorum, qui acciperent, et ante omnes donum hoc pretiosum arriperes, quamquam possessio eius usque ad sepulchrum tantum tibi prodesset, saepe autem neque usque ad portam sepulchri te prosequeretur, sed aliquando a tyrannide [1] et oppressione regnantium, aliquando a latronibus tibi au-
10 ferretur et eriperetur, saepe etiam et causa mortis possessorum invenitur? Bonum autem castitatis et sanctitatis, quod sicut radii solis aut halitus aeris vivificans gratis datur et sumitur; bonum, inquam, sanctitatis, cuius possessio non pro tempore brevi et hac vita tantum, sed per saecula saeculorum utilis et
15 necessaria est; bonum illud, sine quo nec esse nec consistere possumus, quod titulo caritatis a Deo imagini suae datum est: donum ergo tantum, et tam praeclarum, immo multo praeclarius, aliis dimittis et generationibus futuris, quas Deus operabitur, concedis, te autem ipsum eo privas et alienum facis.
20 Quis tantopere se ipsum odit et contra se iniuste agit? Non ita, non ita fiat tibi. Si ergo tu, omnium sapientissimus et eruditissimus, persuasum habes et a me consilium sumis, qui omnium stultissimus [2] et insipiens sum, — quid enim lucri habebit homo, si totum mundum lucretur, animam autem suam laedat aut
25 perdat [3], — noli commutare utilitatem animae tuae cum toto mundo. Si consilium meum dicitur, tamen non est meum, sed redemptoris universi. Rape tibi redemptionem! Festina velociter, ut alas redemptionis aquiras! Contemne omnia praesentia! p. 81.
Acquire unum tantum pro omnibus *aliis*! Nihil reputes loco
30 redemptionis tuae! Flos transit et dissolvitur. Primo tu bonum acquire; postea eius possessionem aliis concedas. Esto archetypus praeclarus in reconciliatione sicut fuisti in contrario! Noli decipere mundum, neque te decipiat! Ita enim multos fefellit. Sed viri strenui ipsum fefellerunt, et per pauperes in
35 regnum caelorum miserunt (?). Ita et tu fac, si mihi oboedis. Magis enim de divitiis tuis divinis quam humanis gaudeo, et volo te purum pure stare coram tribunali [4] Christi, sicut decet

[1] « τυραννίς ». — [2] « ἰδιώτης ». — [3] MATTH., XVI, 26. — [4] « βῆμα ».

IV. — Eiusdem ad Elamitas.

Timotheus peregrinus [1], misericordia Dei, vivificatoris nostri, servus et minister sedis patriarchalis in urbe regia: sacerdotibus et fidelibus, qui ad provinciam [2] ʿElam pertinent: pax Domini omnipotentis. 5

Habitus [3] morborum, o viri, certe et habitum medicorum [4] operatur, et habitus medicorum habitum morborum et aegrorum operatur. Defectus [5] morborum et defectum medicorum operatur, et defectus medicorum defectum etiam morborum operatur. Relationem [6] enim inter morbos et sanationem ponimus. Quomodo? Sanatio est sanatio morborum, et morbi, morbi sanationis sunt. Constitutiva enim et destructiva sunt *sanatio et morbus,* sicut et alia ipsis similia [7]. 10

p. 79. Is qui in tali matrimonio vivit, in illegitimitate magorum vivit; remotus a legibus christianitatis et reus transgressionis legis est, et nobis et omnibus constitutionibus et canonibus synodalibus, usque dum ab his recedat et ad puritatem christianam redeat. Non ea, quae placent, sed quae magis prosunt vitae vestrae, dicimus. Neque sumus domini fidei vestrae, sed adiutores gaudii vestri secundum verbum Pauli divini [8]. Propter Christum ergo petimus: Reconciliamini legibus castis christianitatis et recedite simul a paganismo et a legibus magicis Zarathustrae. Ipsius enim sunt talia cubilia turpia et illegitima. Vos autem sicut filii lucis et filii diei in legibus praeclaris christianis ambulate, ut cum Christo principatum honoris et sedis et splendorem magnae gloriae virtutis acquirere et accipere possitis. Ne dicant quidam ex vobis, quod dixerunt: « Ex inde et deinceps *hoc* non faciemus; sed quae antea facta sunt, sine ulla mutatione permaneant ». Cur *hoc* et propter quid? Si enim bonum est, cur aliis concedimus, nos ipsos autem eo privamus? et a nostris quidem temporibus et diebus repellimus, temporibus autem futuris et aliis generationibus tribuimus? Nos ipsos priores 15 20 25 30

[1] « ξένος ». — [2] « πολιτεία ». — [3] ἕξις. — [4] « ἀρχίατρος ». — [5] στέρεσις. — [6] τά πρὸς τι. — [7] Hic lacuna esse videtur. Fortasse est supplendum: « Inter res destruentes numerandum est et matrimonium cum duabus sororibus ». — [8] II *Cor.*, I, 23.

esse. Cum autem firmitatem consilii nostri videret et inflexibilitatem mentis nostrae intelligeret, statuit, sanxit et decrevit: « Neque Gai, neque Šūšterīn peto, sed in cellam meam, ait, in p. 77.
conventum redeo ». Ego dixi illi: « Non licet tibi hoc facere
5 post dignitatem [1] et gradum, quem accepisti ». Et ita statui in verbo Dei: « Non licet ei extra sedem Gai, cui unctus est, in ullo gradu ecclesiastico ministrare ». Et hoc modo discessit a me. Ubi ergo accepit a nobis licentiam exercendi gradum suum, cum in interdicto verbi Dei a nobis discesserit? Et si
10 dederimus ei iurisdictionem [2], sicut ipse divulgavit et monachi tibi dixerunt, in Gai tantum dedimus ei potestatem episcopatum ministrandi, non in conventu Novo et aliis locis. Et si Abraham anathematizatus quidem a nobis discessit, anathematizato autem non licet ordinationes facere: ergo Abraham non licebat or-
15 dinationes facere. In Gai enim definivimus potestatem eius, non extra Gai. Omnes ergo, qui ab eo uncti sunt [3], iterum duc ad altare; dic canonem primum, secundum consuetudinem; recita super eos omnes orationes; et signa eos in sacerdotium aut diaconatum signo crucis vivificantis, in nomine Patris et Filii
20 et Spiritus sancti. Quodcumque enim ab anathematizato fit, invalidum est. Duo autem sunt eius crimina. Primum, quod ausus est ordinationem facere in ditione aliena. Secundum, quod ordinare ausus est, postquam anathematizatus est. Non enim hoc pacto a me discessit, ut in Gai iret. Sed: « Neque in Gai, neque
25 in Šūšterīn eo; sed in cellam meam in conventum ». Tunc ana- p. 78.
thematizavi eum, ut non liceat ei ministrare in ullo suo gradu ecclesiastico extra Gai. Illuc enim ivit, postquam audivit metropolitam ʿElam esse ordinatum. Quod in Gai ivit, bene fecit; quod autem ausus est et anathematizatus et in ditione aliena ordina-
30 tionem facere, stulte egit; et ipse anathemate, et ab ipso ordinatus abrogatione dignus est, secundum canones ecclesiasticos.

Haec ita gesta sunt, fiunt et fiant. Sanctitas tua libere secundum voluntatem Spiritus, qui in te *est*, faciat id, quod scis voluntati eius placere. Ipse corroboret te et nos ad perficien-
35 dam voluntatem suam. Vale in Domino et ora pro nobis.

Mitte nobis librum Gregorii Nysseni et illum Eusebii pro Origene.

[1] « ἀξίωμα ». — [2] « αὐτενθία ». — [3] In textu: « nigrati sunt ».

III. — Eiusdem Mar Timothei epistula ad Sergium *metropolitam* 'Elam.

Sancto Dei, fratri nostro Mār Sergio, episcopo, metropolitae 'Elam: Timotheus peccator, sanctitatem tuam veneratur et orationem tuam petit. 5

Epistulam ultimam sanctitatis tuae accepi et legi, fuitque mihi in gaudium et confessionem Dei. Rogo gratiam Dei nostri adorandi, ut incolumem conservet te et hanc gregem, cuius tutela tibi credita est. Quoad id, quod scripsit mihi sanctitas tua de ordinatione [1] illegali, quam Abraham *episcopus* Gai in conventu novo et in Sūšterīn facere ausus est, sciat sanctitas tua 10
p. 76. Deum amans, Abraham thronum [2] Gai, cui unctus erat, deseruisse et thronum Šūšterīn petiisse praeter leges ecclesiasticas. Et ecce, quanquam revera non erat in Sūšterīn nomen episcopi, non licebat ei, sede sua relicta, alienam rapere: quanto magis 15 eam quae talis et tanta erat! Cum autem Sūšterīn venisset, multa ausus est quoad chirotonias et perfectiones [3] illegales. Haec cum a civibus Šūšterīn audissemus, qui in urbe regia *Bagdad* commorantur, per literas eum arcessivimus et ei interdiximus omni ministerio gradus ecclesiastici, quem tenet, quia 20 synodum divinam CCCXVIII *patrum* [4] et omnes posteriores synodos pervicaciter aggredi ausus est, quae omnes statuunt et interdicunt, ne quis episcopus de hyparchia in hyparchiam, vel de throno in thronum migret. Simul omnes ordinationes eius illegales irritas fecimus. Quamquam autem ad nos in urbem 25 regiam venit, tamen concupiscentiam suam inhonestam et illegalem non dimisit. Sed tunc ad Rabban Moysen, tunc ad fratrem nostrum Stephanum Damascenum, tunc ad Rabban Bokhtišo', tunc ad fratrem nostrum Gabrielem refugium cepit, ut, ipsis adiuvantibus, ei permitteremus, Gai dimittere et Šūšterīn 30 tenere. Ego autem in adiutorio caelesti, quod ecclesiam sancte servat et regit, neque per honores, neque per preces aliquorum victus sum, cogitans Deo magis quam hominibus oboediendum

[1] « χειροτονία ». — [2] « θρόνος ». — [3] Perfectio episcoporum a metropolitis ordinatorum ad patriarcham spectabat. Secundum Ibn aṭ-Ṭajjib (*B. O.*, III, II, 636) Timotheus ipse de hac re contra Bar Sauma Nisibenum scripsit. Ritus perfectionis: *B. O.*, III, II, 702 sqq. — [4] Can. nic. 15.

vis et homicidii vertit. Mutat non quidem ipsum coitum, sed ipsius modum eumque e modo legitimo et naturali in modum illegitimum et praeter naturam adducit. Itaque propter adimpletionem eorum quae legalia et naturalia sunt, laude, propter ea quae illegitima et perversi modi sunt, condemnatione digni sumus.

Haec de iis. . . . . [1]

Testamentum autem ab eis qui moriuntur factum, si in omnibus secundum Dei voluntatem scriptum est, immutatum confirmetur. Si autem non recte dispositum est, mutetur. In omnibus enim rebus, mortuorum et vivorum, Dei voluntas magis quam hominum voluntas perficienda est [2].

Haec itaque scripsi tibi, pater sapientissime, non tamquam nescienti aut doctrina egenti, — doctor Dei enim es et ab omnibus testimonium habes, — sed tamquam maxime intelligenti et omnium doctissimo. Scripsi obsequens mandato gravi sapientiae tuae magnae. Congruum enim mihi visum est, ut intelligentia tua sciret vim et potestatem harum mearum *sententiarum*, ne, cum propinqua et coram manibus sit demonstratio et probatio secundum debilitatem meam, amplius erres et illudaris cum multis in sua opinione de me, et ne iterum ad talia traharis. Si beatitudini tuae omnino non respondissem, duo delicta vilitati meae comparassem: inoboedientiam contra amorem tuum et apparentiam quandam demonstrativam suspicionis scientiae. p. 75.
Nunc autem, cum scripserim, qualicumque modo, et a suspicione maligna debilitatem meam libero, et ab inoboedientia remotus sum. Corrige, quae deficiunt, magna tua sapientia et condi ea sapore bono et iucundo prudentiae tuae. Et cum amore et dilectione ea respicias, recipiantur a magna scientia tua sicut balba verba puerorum, quae parentibus gratiora sunt verbis sapientium et philosophorum. Ora pro pace mundi et quiete ecclesiae, simulque pro paupertate mea, ne reus fiam coram tribunali Christi.

Explicit exemplar epistulae quam scripsit sanctus Mar Timotheus catholicus ad Boktīšō' diaconum, et medicum regis.

[1] Lacuna. — [2] Eadem docet Timotheus, canone suo 59 (vertit LABOURT, *De Timotheo patr.*, p. 75).

haec partim motus libertatis hominum, partim dispensationis Dei, quae omnia movet et ad congruum *finem* perducit. Itaque dispensatio divina voluntatem suam saepius per libertatem rationalium perficit et per ea, quae fiunt ex eorum libertate et autonomia, nunquam tamen eos dirigens necessitate aut coactione. Neque dispensationis divinae, sed suae libertatis et finis suae voluntatis retributionem accipiunt. Ita et autonomia libertasque rationalium voluntatem suam perficit et potestatem suam ma-
p. 73. nifestat in iis, quae ad dispensationem divinam pertinent. Et quia non secundum finem dispensationis divinae, sed magis secundum finem arbitrii et propriae voluntatis rebus utitur *libertas:* propterea e contra . . . . . [1] magis quam secundum finem divinae dispensationis, recipere debet coronas et retributiones, si congruit omnino cum fine *divinae dispensationis* etiam perfectio *actionum creaturae*; si autem non secum congruunt, omnino evidens est perfectionem *actionum creaturae* incongruam esse.

Ut breviter [2] dicam, haec quidem duo per decretum Deus statuit esse: primum, ut per coitum homines in hunc mundum intrent; alterum, ut per mortem ex eo exeant et in alterum futurum migrent. Quomodo autem aut qua ratione intrent, aut exeant, optime scit. Nihil enim eum fallit, ut diximus. Per mandatum et decretum titulo legis firmiter statuit et praecepit [3]: « Non occides » ait, et [4] « Non moechaberis ». Et per hoc ostendit voluntatem suam, quae minime amat, ut homines per nativitatem ex adulterio in hunc mundum intrent, neque ut homines per mortem ex homicidio in mundum futurum exeant, sed legitimo et naturali modo, secundum decretum et legem quam statuit. Non autem decrevit et statuit, ut de facto res impossibilis sit. Ita enim cessaret libertas et autonomia et cessarent quoque cum ea coronae et retributiones. Sed voluntatem suam per legem monstravit; ut autem res sit vel non sit, libertati tradidit. Libertas enim legibus a Deo naturae infixis utens, secundum suam voluntatem modum quidem, non
p. 74. rerum naturam mutat. Mutat enim voluntas nostra non mortem sed mortis modum, eamque e modo naturae in modum

[1] Textus mancus et corruptus est. — [2] « κεφαλαίω ». — [3] *Ex.*, XX, 15. — [4] *Ex.*, XX, 14.

sioni [1], ut coronam Dei aeternam super universum cingeret et divino modo super universum regnaret et dominaretur, vere magis laude quam vituperatione fratres Ioseph olim et Iudaei postea digni essent, et mala bonorum causa *esse* invenirentur. Si autem neque fratres Ioseph in servitutem vendiderunt, ut super Aegyptum dominaretur et regnaret, sed praesertim ut ex libero servus et subiectus fieret; neque Iudaei Christum dominum nostrum ad mortem crucis damnaverunt, ut omnis potestas in caelo et terra ei daretur et regnaret super omnia et coronam divino modo cingeret, sed ut omnino *eum* e vita delerent et perderent, et ex invidia praesertim et crudelitate, non e philanthropia et bonitate ad id devenerunt, quomodo non iudicio et tormento digni sunt? Non enim eorum, quae ex operibus oriuntur, sed ipsorum operum, vel potius finis voluntatis malae et invidae retributionem accipiunt. Non enim mala eorum voluntas bonum genuit. Si enim bonum et malum contraria sunt, contraria autem se invicem tollunt, non autem alterum alterius causa sunt, ergo bonum et malum non causae unum alterius sunt, sed destructiva et exclusiva alterum alterius. At prava indoles Iudaeorum est malum, et dominatio super omnia et in Aegyptum est bonum. Malum autem et bonum, ut demonstratum est, se invicem excludunt. Ergo mala indoles et crudelitas Iudaeorum destructiva et exclusiva sunt imperii divini Christi super universum et dispensationis Ioseph super Aegyptum. Ergo non sunt mala causa bonorum; neque invidia *fratrum* et crudelitas Iudaeorum sunt causa regni Christi domini nostri super omnia, vel dominationis Ioseph in terram Aegypti. Cohaerent quidem tanquam exitu propinqua, non tamquam causa et causatum. Non enim quia venditus est, Ioseph Aegypti imperium accepit, neque, quia imperium Aegypti accepit, venditus est. Non enim omnis qui Aegypti imperium accepit, venditus est, neque omnis qui venditus est imperium Aegypti accepit. Imperium Aegypti accepisset, Deo imperante, etsi a fratribus venditus non esset. Pariter et Christus non quia crucifixus est, super omnia regnavit, neque quia super omnia regnavit, crucifixus est. Non enim omnis qui crucifigitur, regnat, neque omnis qui regnat, crucifigitur. Sunt enim

p. 72.

[1] Videtur legendum ܠܐܘ.

autem noster sapientissimus et optimus capiti Ioseph per servitutem coronam plexit, et Christo Domino per mortem crucis omnem potestatem in caelo et terra destinavit, coronamque aeternam divinitatis super omnia praeclare plexit. In dictis et libertas hominum revelata est et splendores dispensationis providentiae divinae erga omnes praeclare refulserunt. Et concurrunt ambo sine impedimento, sicut currus [1] aut quadriga cui iuncti sunt equi ab invicem in cursu recedentes, sed ab auriga [2] sapiente et forti flectuntur. Et sicut sol et luna: ille
p. 70. constanter, sine incremento et decremento, haec autem incremento et decremento cursum suum perficiunt, cum neque sol iter et vicissitudines lunae destruat, neque luna solis iter impediat, ita et providentia Dei omnipotentis et libertas rationalium aequaliter currunt, cum neque Dei providentia et eius dispensatio unquam rationalium libertatem et voluntatem cogat, neque rationalium libertas et autonomia Dei providentiam et dispensationem unquam destruere possit: sed multoties ex *rebus* sibi contrariis una mira, stupenda et pulcherrima pulchritudo dispensationis divinae completur, perficitur et constituitur.

Stabit aliquis contra haec dicens: Si imperium Aegypti e servitute ortum est, servitus autem ex invidia fratrum Ioseph, ergo imperium Aegypti invidia genuit. Atqui imperium bonum et desiderabile est, invidia autem odiosa et fugienda. Ergo malum hoc causa illius boni est. Pariter et de redemptore universi obiiciat aliquis hunc in modum: Si imperium quidem caeli et terrae e cruce ortum est, crux autem ex amaritudine pervicaciae Iudaeorum, ergo Christi potestas super omnia ex hac crudeli pervicacia Iudaeorum orta est. Si haec crudelitas Iudaeorum causa crucis est, crux autem causa mortis, mors autem causa resurrectionis, resurrectio autem causa regni caelorum, regnum autem caelorum summum et eminentissimum bonum est: ergo causa boni praeclarissimi haec Iudaeorum crudelitas est. Cru-
p. 71. delitas autem mala est et dicitur; malum ergo causa boni est. Ad hoc dicimus: Si olim fratres Ioseph et postea Iudaei, illi Iosephum fratrem suum alienis in servitutem vendidissent, ut imperium Aegypti acciperet [3], et *hi vero* Christum Dominum et Deum nostrum ideo morti crucis tradidissent et pas-

[1] « καροῦχα ». — [2] « ἡνιοχος ». — [3] Lege ܢܬܠܘ.

libertas, firmatur autem providentia divina. Si providentia tollitur, ubi est illud [1]: « neque capillus crinium de capite, neque passer in laqueum cadit sine Patre vestro, qui in caelis *est* »? Si autem libertas tollitur, ubi est tunc ratio legislationis, aut ubi est retributio hinc et inde, id est regni caelorum et inferni? Sed providentia divina non tollitur. Deus enim naturae conceptionem et mortem infixit, vim germinandi terrae, vim comburendi igni, et alias eiusmodi vires, quae cum natura naturaliter usque ad finem concurrunt. Neque libertas et voluntas rationis nostrae aufertur. Utimur enim eis, quae a Deo naturaliter creata sunt, secundum liberam nostram potestatem. Coitum habemus cum mulieribus: si legaliter sit, Dei mandatum perficimus; si illegaliter, non mandatum exequimur, et ideo propter transgressionem hic et illic punimur. Conceptio autem omnino fit secundum vim, quam Deus ab initio naturae infixit. Pariter et igne comburimus. Si ad usum naturae comburimus, Dei mandatum facimus; ad hoc enim a Deo creatus est *ignis*. Si autem in damnum hominum eo utimur, ut comburemus aut domus hominum, aut agros et vineas et civitates, tunc non mandatum Dei eo perficimus. Attamen ignis quidem, quomodocumque eo utimur, id quod Deus ei infixit, naturaliter perficit. Non facta in se iudicantur; sed modi ipsorum et finis quo p. 69.
fiunt, bonus aut malus, secundum voluntatem Dei aut non secundum voluntatem Dei est et dicitur. Ecce enim Phinees occidit [2] et Herodes [3] occidit. Factum homicidii idem est: finis autem et modus non unus et idem: et ideo Phinees quidem coronatus est, Herodes autem damnatus est. Rursum, David [4] et Osee [5] moechati sunt. Factum coitus idem est: finis autem non idem est: et ideo ille quidem iudicatus est, minime autem hic. Neque ergo providentia Dei tollit libertatem nostram, neque libertas nostra destruit providentiam Dei. Sed providentia Dei cum omnibus et semper concurrit; libertas autem nostra omnibus et semper utitur secundum potestatem voluntatis nostrae. Et ita olim fratres Ioseph et postea Iudaei: illi quidem fratrem suum Ioseph in servitutem vendiderunt, isti Christum Dominum in amaritudine voluntatis morti crucis tradiderunt. Deus

[1] Cfr. MATTH., x, 29, 30. — [2] *Num.*, xxv, 6 sqq. — [3] MARC., vi, 17 sqq. — [4] II *Reg.*, xi, 1 sqq. — [5] Os., i, 2 sqq.

tatem sunt: alii secundum eius voluntatem sunt, et alii non secundum eius voluntatem sunt. Et sicut conceptio in Dei mandato perficitur, hoc est per compositionem corporis, in quo anima e nihilo fit, modus autem conceptionis si legitimus est, dicimus eum in mandato Dei esse, si vero illegitimus est, non dicimus in mandato Dei esse: ita et migrationem animae e corpore in mandato Dei esse dicimus; hoc enim Deus ab initio constituit; modum autem huius migrationis, si naturalis est aut legitimus, dicimus in Dei mandato et voluntate esse, si autem nec naturalis nec legitimus est, non dicimus in mandato Dei esse. Sicut terra in Dei mandato creata est et in Dei mandato vim germinandi accepit: modus autem, quo laboratur, plantatur et seminatur, si legalis et iustus est, secundum Dei voluntatem est, si autem illigitimus et iniustus est, non est secundum Dei voluntatem, utroque tamen casu vis germinandi, quae in ea est secundum Dei mandatum, opus operatur. Aut,
p. 67. si mavis, sicut vis comburendi ignis in Dei mandato est, Deus enim ignem calidum et comburentem creavit, modum autem combustionis, si rectus et iustus est, omnino dicimus eum comburere secundum Dei voluntatem: hunc enim Deus creavit in usum hominum; si autem non rectus nec iustus est — saepe enim in eo domus, agri et homines insidiose comburuntur, — tunc non comburit secundum Dei mandatum: ita et coitum et animae migrationem e corpore, si recte, legitime et naturali modo fiunt, in Dei mandato dicimus esse, si autem iniusta et illigitima sunt, non in eius mandato fieri dicimus. Attamen, ut diximus, coitus et migratio animae e corpore omnino ex necessitate fiunt. Est decretum Dei circa naturam: et perficitur homo et discedit anima, sive legaliter, sive illegaliter sint coitus et mors; modum autem coitus aut migrationis, si legitime et naturaliter perficiuntur, in mandato Dei, si autem non legitime nec naturaliter, non in mandato Dei dicimus perfici et adimpleri. — Consideremus iis qui legem observant, a legislatore non brevi mercedem dari, iis autem qui non observant, in hoc quidem mundo statim iudicium decerni, et in futuro tormentum infinitum, quod indicat et lucide demonstrat, non esse Dei decretum et mandatum ut fiant mala.

Si anima sine Dei mandato e corpore migrat, providentia
p. 68. tollitur, firmatur libertas; si non migrat, e contrario tollitur

autem adulterii est voluntas mala: malae autem voluntatis causa Deus non est; ergo adulterii non Deus causa est. — Pariter Deus in lege praecipit[1]: « Non occides ». Evidens est, eum praecepisse, ne occidamus, quia possibile est ut occidamus et non occidamus. Si enim ipse statuisset et decrevisset ut occideremus, quomodo legem posuisset contra decretum suum, ne occidamus. Contra se ipsum legem posuisset hac ratione et sibi contrarius videretur. Et si omnino impossibile esset ut occidamus, superflua esset lex illa de re, quae omnino non posset fieri. Sed p. 65.
Deus non statuit et decrevit ut alter occidat, alter occidatur. Non enim legem ponebat contra decretum et mandatum suum. Neque porro impossibile est ut alter occidat, alter occidatur. Superflua enim videretur lex non occidendi, si omnino impossibile esset ut occidamus. Posuit legem non occidendi voluntati, quae utrumque pariter facere potest. Si non occidit, Dei voluntatem et praeceptum perficit; sin autem occidit, praeter Dei praeceptum agit et idcirco occidetur, quia Dei mandatum transgressus est *et* voluntate sua bonum odit et malum dilexit. — *Obiectio.* At si homicidium destructio vitalitatis est: ex autem destructione vitalitatis separatio animae a corpore fit; ergo homicidium separationem animae et corporis operatur. Atqui homicidium praeter Dei voluntatem et mandatum fit. Ergo possibile est, secundum hanc rationem, ut anima e corpore migret sine Dei mandato. Ad hoc respondemus: migratio animae e corpore ut fiat, Deus constituit, sive homicidium sit, sive non, in id tempus quo necessario e corpore migrat: homicidium autem ut fiat, non constituit Deus. Hoc patet ex eo, quod homicida homicidii reus fit. Si enim voluntatem Dei perficeret, non occisione, sed potius corona dignus esset. Quia autem propter homicidium occidendus est, patet eum non voluntatem Dei perfecisse. Punitur non propter migrationem animae e corpore, hoc enim aliquando e necessitate fit, ut diximus, sed propter destructionem ima- p. 66.
ginis Dei, quam operatur is, qui est et dicitur occisor. Ergo dicere debemus, migrationem animae e corpore, quocumque modo fiat, mandato Dei fieri; Deus enim id definivit, *scilicet* ut anima e corpore discederet; modi autem, quibus anima e corpore discedit, non semper secundum eius mandatum aut volun-

[1] *Ex.*, xx, 13.

testimonium falsum dicit, praeter Dei voluntatem et praeter eius mandatum dicit. Sin autem non dicit, secundum Dei legem et secundum eius mandatum agit. Utrumque libera sua voluntate agit. Et sicut lingua naturae nostrae a Deo data est, modus autem loquendi non a Deo, sed a voluntate nostra est — si enim volumus, veritatem, et si volumus, mendacium dicimus, — ita et, ut testimonium dicamus, a Deo, quomodo dicamus, a voluntate nostra est. Pariter Deus in lege praecipit [1]: « Non moechaberis ». Hic quoque praecipit quod potest fieri aut non fieri. Utrumque enim facultate voluntatis nostrae agitur. Patet eum qui moechatur, contra voluntatem et contra legem Dei agere, et idcirco etiam ad poenam damnatur a legis conditore, quia contra voluntatem et mandatum legislatoris egit, et libera sua voluntate bonum reiecit, malum autem elegit et dilexit. Qui autem non moechatur, evidenter secundum Dei voluntatem et mandatum agit. — *Obiectio.* Si adulterium transgressio legis est: ex adulterio autem graviditas: ex graviditate unio animae cum corpore perficitur: evidens ergo et manifestum est, adulterium causam unionis corporis et animae inveniri. Atqui scimus adulterium praeter Dei praeceptum fieri: ergo secundum hanc rationem haec unio animae et corporis praeter Dei praeceptum perficitur. Respondemus. Coitus quidem secundum Dei praeceptum perficitur. Ab initio enim constituit, ut in copula masculi cum femina unio animae cum corpore fiat, quod est et
p. 64. dicitur homo. Adulterium autem non secundum Dei praeceptum perficitur. Coitus est qui hominem perficit, non adulterium: ideoque non propter coitum, sed propter adulterium damnatur homo. Coitum quidem natura, adulterium autem mala voluntas perficit. Et sicut ignis a Deo creatus est, usus autem eius et ratio *utendi* in nostra potestate est, ut bene aut male eo utamur: aut si mavis: sicut oculus a Deo naturae nostrae datus est, quomodo autem eo videamus, lubrice an caste, in nostra potestate est, ita et coitus a Deo constitutus est, modus et usus eius autem voluntatis nostrae est. Ideoque non coitus, sed modus eius damnatur aut coronatur. Causa igitur unionis animae cum corpore coitus naturalis est: causa coitus naturalis est Deus; ergo Deus causa unionis animae cum corpore est. Causa

[1] *Ex.*, xx, 14.

sibile. sicut: omnis homo lapis: omnis camelus avis. Quae cum ita sint, primum invenimus, neque Deum pantocratorem, neque sensum communem hominum de necessariis aut de impossibilibus, sed de contingentibus tantum leges ponere, ut fiant, aut
5 non fiant. Nemo enim unquam legem posuit ut aliquis spiret, aut non spiret, ut habeat duos pedes, aut non habeat; neque ut camelus habeat duas alas aut homo quattuor pedes. Priora enim sunt necessaria, posteriora vero impossibilia, et nullo modo sub rationem libertatis et voluntatis cadunt. Impossibile enim est
10 ut homo non spiret et non habeat duos pedes; omnis enim homo spirat, et omnis homo ex necessitate bipes est; nec est ullus camelus bipes nec ullus homo quadrupes: id enim impossibile est. Quod autem homo rhetor sit aut non sit, discat litteras aut non p. 62.
discat, occidat aut non occidat, furetur aut non furetur, contin-
15 gens est. Idcirco, de his tantum quae possunt esse aut non esse, omnes leges positae sunt et ponuntur. De iis enim, de quibus Deus decrevit et statuit ut ita sint, et quae necessario ita erunt, — exempli gratia, ut ignis calidus, nix frigida sit, ut sol in die luceat et luna in vicissitudine incrementi et defectus videa-
20 tur, — et pariter de iis, de quibus constituit Deus, ut non sint, et quae ideo esse omnino non possunt — exempli gratia, ut oculus audiat, auris videat, pes spiret, nasus ambulet, — de his et talibus nulla unquam lex posita est vel ponitur; quia alia necessario sunt, alia nullo modo esse possunt, sive de eis
25 lex ponatur, sive non ponatur. Quoad illa, de quibus non statuit et decrevit Deus ut sint aut non sint, sed *decrevit* ut pariter possint esse et possint non esse; ad hoc tantum statuit et definivit legem, ut fiant aut non fiant: quoad illa enim quae facere et non facere possumus et quae a nobis fieri et
30 non fieri possunt, leges positae sunt, ut fiant aut non fiant. Quo modo? Lex praecipit [1]: « Non falsum testimonium dices contra proximum tuum ». Evidenter possibile est ut testimonium dicamus, et possibile ut non dicamus. Si enim necessarium esset ut testimonium dicamus, impossibile esset quin dica-
35 mus; vel si omnino impossibile esset ut dicamus, superfluum esset legem ponere, ut non dicamus, de re quae ex necessitate esset, aut de re quae nullo modo fieri posset. Ergo, si *quis* p. 63.

[1] *Ex.*, xx, 16.

ad facinus tam lamentabile et terribile venisse. Si Cain Abel
p. 60. fratrem suum interfecit et in caede Abel anima eius e corpore
migravit, omnis autem anima in Dei mandato migrat, ergo
Cain in Dei mandato interfecit Abel fratrem suum et tamquam
adiutor decreti Dei in Abel benedictione magis quam maledi- 5
ctione dignus erat. Qui enim mandatum Dei perficit, voluntatem eius perficit: qui autem voluntatem eius perficit, corona dignus est. Cain ergo, si decretum Dei in fratrem suum perfecit, magis corona quam condemnatione dignus erat, sicut Phinees [1] qui Israelitam et Moabitidem interfecit; nisi non congruunt 10 coronae servitio voluntatis Dei. « Nunc igitur maledictus es a terra, quae aperuit os suum et absorpsit sanguinem fratris tui e manibus tuis. Cum operaberis in terra, non amplius dabit tibi robur suum. Vagus et profugus eris in terra » [2]. Haec quidem condemnationes magis quam coronae sunt. Iam ergo 15 non Dei decretum perfecit Caïn in caede Abel; si autem non decretum Dei perfecit, evidens est, animam sine Dei mandato e corpore migrare. Quod quidem anima e suo corpore per mortem discedat, id Deus statuit: mortalem enim naturam nostram constituit. Quando autem migrare debeat, quomodo, ubi et per 20 quod, hoc Deus aliquando imperavit, aliquando non. Quomodo? [Aliquando Deus imperavit] [3] quoad iustos ut Adam, Noe, Abraham, Moysem et alios similes; quoad malos et impios ut eos qui in diluvio *perierunt*, ut Sodomitas, Pharaonem, Aegyptios, Coreh, Datan et Abiram. Aliquando Deus non imperavit; quoad 25
p. 61. iustos et bonos ut Abel, ut populum Hebraeorum, ut Iosiam, Isaiam, Iohannem Baptistam et alios; quoad malos et iniquos, ut Canaan, Esau, Ieroboam bar Nabaṭ et alios similes, qui non in supplicio, sed naturali modo mortui sunt. Scientia quidem Dei omnia praecedit; voluntas autem eius non cum malo, sed 30 cum bono procedit et ambulat.

Deinde sciendum est, esse tres substantias [4] rerum et vocum: necessarium, contingens et impossibile. Necessarium, sicut: omnis homo animal; omnis camelus quadrupes. Contingens, sicut: aliquis homo rhetor; aliquis homo grammaticus. Impos- 35

[1] *Num.*, XXV, 6 sqq. — [2] *Gen.*, IV, 11, 12. — [3] E textu excidisse videntur verba: ܗܘܝܢ ܕܐܠܗܐ ܕܒܡܠܬܗ ܗܘܐ ܠܐ. — [4] « ὕλη ». Cfr. HOFFMANN, *De hermeneut. apud Syros Aristoteleis*, p. 89, 111.

praeteritis et praesentibus, neque ex futuris, anima sine mandato Dei non tantum non migrat, sed neque capillus crinium capitis, neque passer in laqueum cadit sine eius mandato [1], qui omnia ligavit et ordinavit. Si autem praescientiam non respicit, sed res ipsas et nostram libertatem intendit, dicimus, animam sine Dei mandato migrare ex passionibus, casibus et morbis. Mortalem quidem Deus naturam nostram constituit, non autem decrevit et statuit, ut homo tot annos viveret. Scit quidem Deus, quantum temporis vivet homo, non autem decrevit aut statuit, ut tot annos viveret. Sciebat enim numerum annorum cuiuscumque vitae ex eius temperamento et vi naturali ipsius, non autem decrevit ut, secundum scientiam suam, homo tamdiu viveret. Si decrevisset secundum scientiam suam, nunquam ex corpore suo migrare posset, antequam decretum, quod Deus statuit et decrevit, effectum obtineat. Sciebat Deus et Dominus p. 59.
noster praeter illud simul et alias causas externas, quae a morbo aut libertate, a nobis aut ab aliis *accidunt*. Omnia enim haec simul eadem praescientia novit, sed non decernit et statuit, ut quid ex eis sit; quod si decerneret ne anima migraret usque ad quoddam tempus, cessaret libertas et tolleretur voluntas. Sin autem tolleretur voluntas, neque laudandi, neque vituperandi essemus. Ne autem essemus sicut animalia irrationalia, pulchre nobis libertatem assignavit. Et ut libertas nostra opere videretur, pulchre naturae nostrae vitam definitam non statuit et constituit. Virtutes incorporeae nullo modo mori possunt, quia decrevit et statuit ut immortales essent. Nos autem homines omni modo mori possumus, quia mortem naturae nostrae decrevit et statuit.

Itaque simul ab initio rerum libertas et mortalitas naturae nostrae effulserunt: libertas eius in Cain protohomicida, mortalitas in Abel iusto. Si enim Deus decrevisset et statuisset, ut Cain necaret, Abel necaretur, neque Cain iudicium meruisset, quod exiit contra eum, neque vox sanguinis Abel de terra clamare debuisset. Non enim vi libertatis, sed potius decreti, hoc factum fuisset. Sin autem iuste Cain damnatus est et sanguis Abel iuste de terra clamavit, manifestum est Cain, propter libertatem suam, non propter decretum divinum de ipso et de Abel,

[1] Matth., x, 29, 30.

riter fructum tulit, mortuis et vivis — totius mundi enim universim gratia est, — evidens ergo et manifestum est, non sine
p. 57. fructu et utilitate esse sacrificium agni Dei vivi, qui tollit et aufert peccatum mundi [1], quando pro defunctis et pro vivis offertur. Ideo et Baptista non dixit: « qui tulit peccatum mundi ». Sciebat enim eum continuo tollere et dimittere peccata mundi. Nam si irrationalia legis sacrificia, agni, inquam, hoedi, vituli, turtures et pulli columbarum, non sine fructu et sine utilitate pro peccatoribus offerebantur in lege, sed peccata abstergebant et mundabant, etsi non legitime [2], nec semper, — typi enim et similitudines agni Dei erant, qui tollit et aufert peccatum mundi, — quanto magis agnus vivus Dei peccata vivorum et mortuorum mundare potest. Et si quidam proeliatores [3] et duces [4] pro lege vetere et paterna, id est Iudas Maccabaeus ⌜*et socii eius* [5] peccata filiorum populi sui post eorum caedem et casum expiaverunt, quamquam idolorum cultu laborabant, quomodo non magis Dominus noster Christus, cum immolatur, peccata mortuorum et vivorum expiare credetur? In omnibus ergo prodest sacrificium *Filii* Dei cum offertur. — ⌜Fructus autem talis sacrificii non hoc tempore animae et corpori innotescit, sed post resurrectionem mortuorum cognoscetur. Tunc, quando mensura peccatorum aperte cognoscetur, etiam mensura charitatis in remissione ex sacrificio Filii Dei, qui pro nobis datus est, cognoscetur [6]. Etsi non omnino et totaliter peccata expiantur, — non enim ad lacrymas et poenitentiam confugerat is,
p. 58. qui transiit, quanto tempore hic potestatem et liberam voluntatem habuerat, — tamen magna *fit remissio* et ita ut multiplex in ea appareat philanthropia *Dei*. Gratiae enim praesertim et misericordiae, non voluntatis opus *est*. Proficuum ergo et valde utile est, ut continuo pro nobis agnus Dei immoletur, et iis qui sacramento sacrificii eius communicant, et ei cuius causa et propter quem perficitur et consummatur.

Caput septimum. Utrum anima in mandato certo ex corpore migret, an casu et ex morbo. — Ad haec ita dicimus: Si quis praescientiam Dei respicit, quam nihil unquam fallit, neque ex

[1] Iohann., i, 29. — [2] Lege (cum *B. O.*) « totaliter ». — [3] II Mach., xii, 43 sqq. — [4] « στρατηγοί ». — [5] Haec addas secundum *B. O.* — [6] Hae duo propositiones desunt in *B. O., l. cit.*

bet: ergo animae iustorum, postquam egressae sunt e corporibus suis, per intellectum et libertatem aut bona eligunt et mala fugiunt, aut e contrario bona fugiunt et mala eligunt. Similiter et animae iniquorum, aut eligunt mala et fugiunt bona, aut e contrario eligunt bona et fugiunt mala. Si ita sit, primum quomodo pares erunt in retributione et corona corpus Abel, quod circiter triginta annos virtutem operatum est, et anima eius, quae septem milia annorum [1] eam operata est. Et quomodo eadem retributio et poena erit corpori Cain, quod mille annos, ut ita dicam, malum operatum est, et animae eius, quae malum operata est per septem milia annorum totius aevi. Deinde, propter earum libertatem forsitan accidet, ut animae p. 56. iustorum ad malum, et impiorum ad bonum se inclinent; quomodo tunc aequabitur retributio et corona Abel, qui hic per triginta annos iustificatus est, illic autem per septem milia annorum inique egit: aut Cain, qui hic mille annos peccavit et illic per septem milia annorum iustificatus est? Quomodo servabitur hic iustitia? et quomodo non destruet opera priora aut posteriora? Incongruum est, iustum illum iudicem ea, quae simul peccaverunt et iustificata sunt, id est animam et corpus, non simul, sed unumquodque seorsum et sine socio suo beatificare et cruciare. Ad evitandas has absurditates nemo dicat aut credat, animam, postquam e corpore discessit, actualiter cognitionem habere sive eorum quae in corpore suo fecit, sive eorum quae ipsi in retributione accident, sive eorum quae nunc circa corpus eius fiunt.

Et haec quidem ad quaestionem quintam; nunc ad sextam accedamus.

Caput sextum. Num sit ei commodum, refrigerium aut delectamentum, e memoria, quae ei peragitur ad altare Domini [2]. — Hac de re ita nobis ratiocinandum est: Christus hostia universalis pro singulis hominibus, cum sacrificatus est, profuit omnibus, primis, mediis et ultimis, aut fortasse mediis tantum profuit, primis vero et ultimis nihil profuit. Si omnibus pa-

[1] De sententia Syrorum, mundum per sex aut septem milia annorum duraturum esse, cfr. Braun: *Zeitschrift f. kath. Theologie*, 1892, p. 275 sqq. — [2] Sicut e *B. O.*, III, II. 344 sqq. patet, hoc caput integrum a Timotheo II in libro *De septem ecclesiae sacramentis*, cap. 6, repetitum est. Cfr. etiam *Moses bar Kêfa*, cap. XLI, et p. 158 sqq.

et propter corpus; non proprie, sed metaphorice et per translationem dicitur; quemadmodum et de corpore dicimus, illud
p. 54. scire et intelligere, non quidem in se, sed propter unionem cum anima. Nunc ergo anima, postquam corpus reliquit, non sentit, neque scit, quae in corpore fecit. Si enim sciret omnia, quae fecit in corpore, etiam sciret retributionem eis quae fecit in corpore servatam: et haec cum sciret, si esset anima iusta, per cognitionem operum bonorum, quae fecerat, et per cognitionem praemiorum servatorum, iam in felicitate regni caelorum habitaret. Si autem anima iniqua esset, per cognitionem malorum quae fecit, et per cognitionem tormenti malis servati, iam in tormento futuro esset. Quomodo iustum esset, ut ea, quae simul peccaverunt et iustificata sunt, non simul mercedem reciperent, sed partim delectarentur in spe et partim cruciarentur, cetera vero sine omni sensu, sine delectatione vel tormento essent, hoc est corpora, quae dissoluta et corrupta sunt. Quomodo dicitur anima sentire et scire ea, quae in corpore fecit, aut quae in eo fiunt, postquam quomodocumque ex eo migravit; quae etiam, cum in eo esset et habitaret tamquam in templo tantam longitudinem dierum et annorum, neque seipsam unquam secundum substantiam vidit et cognovit, neque aliam animam eiusdem generis, aut angelum, denique neque templi, id est corporis sui, membrum internum, ossa aut eorum medullam secundum substantiam vidit aut novit; nam visionem aut scientiam, quas de his passionibus internis pos-
p. 55. sidet, ex eis quae oculis corporeis attingit, acquirit. Et quia scientia, sensu et aspectu non solum sui ipsius, sed et membrorum internorum corporis sui caret, necesse habet, ut medicus ei revelet et explanet, quae in ipsa conclusa et occulta sunt. Eam ergo, quae, cum in corpore sit, nec videt, neque sentit, neque novit, quae in eius corpore latent et abscondita sunt, dicet et credet aliquis, scire aut sentire quae in corpore eius facta sunt aut fiunt, postquam ab eo exivit et recessit? Ergo non sentit aut cognoscit ea, quae facta sunt ab ipsa, aut fiunt in corpore eius postquam discessit ab eo. Rursum, si anima post discessum e corpore suo scientiam actualiter possidet, voluntatem quoque actualiter possidet. Omne enim vivum rationale actualiter et voluntatem possidet. Si autem possidet actualiter voluntatem, ergo et eligit et reiicit. Si autem *res* ita se ha-

vel si sit in mundo. Hoc est, quod dixit Dominus in parabola de decem virginibus: « Dormitaverunt omnes virgines illae et dormierunt » [1]. Mors in totam nostram naturam dominatur, in animam simul et in corpus. Sed in corpore solutionem operatur, in anima autem silentium actuum et facultatum. « Quia non infernum confitebitur tibi, neque mors laudabit te, dicit propheta [2], neque expectabunt veritatem tuam, qui descendunt in foveam ». Et [3]: « Quia non est in morte memoria tua; in inferno quis confitetur te? »; et [4]: « Lauda anima mea Dominum et psallam Deo meo, quamdiu consisto », et [5] post pauca: « Exit spiritus eius et revertitur in terram suam, et in illa die pereunt omnes cogitationes eius », dicit David. Ergo virtualiter, non actualiter sunt. Et rursum Salomon dicit [6]: « Quia non est sapientia et scientia et intellectus in inferno, quo vadis ».

Et ad quaestionem quartam haec dicta sint.

Caput quintum. Num post migrationem sentiat, quae fecerat in corpore habitans, et num sciat, postquam migravit, aliquid bonorum aut malorum, quae facta sunt in corpore, habitaculo eius. — Si habet sensus, etiam sentit. Notio [7] sensibilitatis ab ea sensibilitate, quae in sensibus residet, sumitur. Atqui si nullum sensum habet, quomodo sentire dicetur? Sensibilitatem tria constituunt: sensus, sensibile et actus sentiendi. Sensibilitas et actus sentiendi in sensibus resident. Atqui sensus cum corpore soluti et corrupti sunt. Ergo et sensibilitas et actus sentiendi cum corpore dissoluta et corrupta sunt. Sicut enim concupiscentia et irascibilitas cum corpore corruptae sunt, ita et actus sentiendi et sensibilitas cum sensibus dissolutae sunt. Eandem ergo sensibilitatem, quam anima per novem menses in utero habet, et post migrationem e corpore habet. Sentire ergo omnino non de anima, sed proprie de corpore dicitur. Angelos enim non sentientes, sed scientes dicimus; sed sentientes dicimus non solum homines, sed et bestias irrationales, conchylia quoque et spongias. Scientes vero et intelligentes animam et virtutes caelestes nominamus; et hominem quoque propter animam scientem seu intelligentem dicimus. Si autem anima sentire dicitur, quantum in corpore tantum est, dicitur

p. 53.

[1] Matth., xxv, 5. — [2] Is., xxxviii, 18. — [3] *Ps.* vi, 6. — [4] *Ps.* cxlv, 2. — [5] *Ps.* cxlv, 4. — [6] *Eccl.*, ix, 10. — [7] Verbotenus « rumor ».

virtutes operata est, in locum amoenum paradisi, sin autem mala operata est, ad congregationem extra paradisum iussu Dei migrare, ibique esse usque ad diem resurrectionis.

Et haec ad quaestionem tertiam dicta sint.

Caput quartum. Quae scientiae maneant ei post migratio-
p. 51. nem. — Animam quidem in quatuor facultates distribuunt, qui in philosophia assidue versantur: rationem inquam, irascibilitatem, concupiscentiam et voluntatem. Ex his quattuor facultatibus ratio et voluntas naturae eius sunt. Irascibilitas et concupiscentia non sunt de natura animae, sed ex eius unione, quam cum corpore habere diximus. Sciendum est, eas, quae peculiariter eius naturae sunt, cum ipsa migrare eamque nunquam relinquere; quae autem naturae corporis sunt, nempe irascibilitatem, concupiscentiam et omnes passiones iis subiectas, cum corpore eam relinquere. Pariter et facultates, quae cum ipsa migrant et naturae eius sunt, partim actualiter, partim virtualiter tantum possidet. Actualiter *possidet* vitalitatem. Numquam enim quiescit a motu vitalitatis suae et semper est natura actualiter viva et mobilis. Virtualiter autem possidet intellectum et liberam voluntatem. Virtualiter enim ratio et voluntas naturae eius infixae sunt; actualiter eas in unione cum corpore tantum possidet. Si sui causa tantum esset creata, non propter perfectionem cuiusdam alius naturae, actualiter omnia sua possideret sicut natura spiritalium. Nunc autem, cum non sui causa creata sit, sicut antea diximus, quantum temporis cum socio suo est, omnia sua actualiter possidet; postquam autem e corpore migravit, et homo, qui ex his duobus consistebat, solutus est, et facultates secundum actum solutae sunt. Manet ergo actualiter in ea post migrationem e corpore facultas vitalitatis et motus; illa autem libertatis et rationis virtualiter tantum, non vero actualiter; facultates irascibilitatis et concupiscentiae
p. 52. neque actualiter, neque virtualiter manent in ea. Sicut, dum est in corpore intra uterum per novem menses, aut, si mavis, dum est in corpore somno oppresso, vitalitatem suam realiter et actualiter possidet, libertatem autem suam et rationem, dicere potes scientiam suam, non actualiter, sed virtualiter possidet, et quamvis viva in natura sua, non sentit vel si in mundo sit: ita etiam e corpore egressa vitalitatem suam actualiter, rationem et voluntatem suam virtualiter possidet, non sentiens

et mali, hic mundus *prae*signabatur: ita per paradisum et locum extraneum, regnum caelorum et infernum repraesentantur. Et haec ad hanc quaestionem secundam.

Caput tertium. Quo anima a corpore separata migret. — Sunt qui dicant eam in elementis, ex quibus corpus compositum fuit, etiam post separationem ab eo, habitare. Anima enim quia coniuncta est cum amore corporis, cum quo germinaverat et exculta erat, corpus autem post solutionem in elementa redit, idcirco, aiunt, anima post separationem in elementis illis, in quae corpus solutum est, habitat, usque ad diem, quo ipsum iterum rectum, fulgens et Deo simile induet [1]. Hi quidem alia cogitaverunt; alii autem alia dixerunt. Sed mihi prae ceteris verum videtur verbum *Domini* ad latronem [2]: « Hodie mecum eris in paradiso ». Cum Deus Adam creasset, posuit eum in paradiso: paradisus autem in terra imaginem regni caelorum p. 50. repraesentat. Cum ergo Deus Adam creasset, posuit eum per imaginem et similitudinem in regno caelorum. Sed propter transgressionem mandati, *Adam expulsus est:* et quia congruum erat, ut primo in his, quae hic sunt, tentaremur et tunc ad ea, quae super omnia elevata sunt, *accederemus:* [3] ne tamen sine perceptione et sine cognitione accurata sit nobis donum charitatis Dei pantocratoris: propterea, quando ad nos descendit in oeconomia sua Filius Dei, cum vellet ea nobis obtingere, quae in principio promiserat, idcirco ab initio ad figuratam imaginem regni caelorum, id est ad paradisum, accedere fecit naturam nostram. Ipse in anima sua locum ingressus est, e quo Adam exierat, et latronem secum introduxit, simulque Henoch et Eliam, et omnes animas iustorum secum introduxit, ut inde spem regni caelorum in nobis innovaret, quam ab aeterno finis oeconomiae Dei nostri adorandi respexit. Ideo visum et adorationem versus orientem convertimus, tamquam in haereditatem primam, quae primo patriarchae data erat, in qua tamquam in typo regnum caelorum figuratum est. Ergo firmiter credendum est animam post separationem a corpore, si

[1] De tali sententia aliquot rabbinorum v. Weber, *Die Lehren des Talmud*, p. 322 sqq. E Syris christianis Aphraates tantum, qui traditiones iudaicas optime noverat, similia docuisse videtur. Cf. eiusdem demonstrationes VI, 14; VIII, 18; XXII, 6. — [2] Luc., xxiii, 43. — [3] Textus aliquantisper perturbatus videtur.

At surget aliquis contra hoc *dicens*: « Si omne finitum in
p. 18. loco et spatio definitur, anima autem, ut demonstratum est,
neque loco neque spatio definitur: ergo anima infinita est:
quod est absurdum ». Respondemus: Illud « finitum » et « fini-
tur » duobus modis dicitur, tamquam includens et inclusum,
quod corporis tantum proprietas est, et tamquam initium et
finem habens in existentia sua, quod ad corpora simul et in-
corporea pertinet. Atqui anima coepit et finem habuit in sua
creatione: quidquid autem coepit et finem habuit in sua crea-
tione, non infinitum est. Ergo anima non est infinita, si con- 10
stitutio eius essentialis coepit et finem habuit. Deinde, si anima
infinita est, omnia autem infinita neque incipiunt neque finem
habent, ergo anima neque coepit neque finem habuit in crea-
tione sua essentiali in ortu creationis suae. Atqui anima coepit
et finem habuit in creatione sua; quod autem coepit et finem 15
habuit, dupliciter finitum est; ergo et anima dupliciter finita
est, id est, natura eius cadit sub initium et sub finem. Sed forte
quis dicat, creatorem in constitutione entis eius neque coepisse,
neque finisse, quod absurdum est.

Haec *diximus* secundum rectitudinem naturae rerum. Me- 20
taphorice tamen et ex usu, dum in corpore est, dicitur in corde
habitare [1]; postquam autem iussu Dei *e vita* migravit, si vir-
tutes coluit, in paradiso, si mala amavit, locis extra paradisum
habitat. Haec Dominus docet, latroni dicens [2]: « Hodie mecum
in paradiso eris ». Non tamquam *animae* iustorum in paradiso 25
delectarentur, iniquorum extra paradisum cruciarentur. Quid
enim delectationis haberent animae incorporeae e fructibus
p. 49. arborum corporearum et floribus? Sed differentia locorum, quod
aliae in paradiso, aliae extra paradisum consistunt, demonstra-
tive innuit in differentiam locorum, quae in resurrectione 30
mortuorum erit. Sicut enim, relictis corporibus, non unus et
idem est locus animarum bonorum simul et malorum, ita et
post resurrectionem mortuorum non unus idemque erit malis
et bonis. Sed his regnum caelorum, illis infernum servatum
et praeparatum est. Et sicut per duas arbores paradisi, per 35
arborem vitae mundus futurus, et per *arborem* scientiae boni

[1] Melius Bar Kēfā, cap. 29. — [2] Luc., xxiii, 43. Ad rem cf. Braun, *Moses bar Kēfa*, p. 151 sqq.

corpore est, non autem tamquam in loco vel spatio, sed tamquam natura incorporea in corpore. — Omnia, quae quomodocumque extensionem habent, etsi linea aut punctum[1] sint, necessario et in spatio vel loco sunt. Quod autem nullam extensionem habet, nec in loco nec in spatio esse dicitur. Anima quidem neque ut linea, neque ut punctum extensionem habere dicitur; quod autem nullam habet extensionem, id neque in spatio neque in loco esse dicitur. Ergo neque anima in aliquo spatio vel loco esse dicenda est. Quod in loco vel spatio non est, de hoc neque dicitur ubi sit. Neque ergo de anima dicendum est ubi sit, sicut de corpore.

Si lux in aere non in loco vel spatio esse dicitur, quamquam ambo corpora sunt, aut si mavis, cum hoc universum, quod est constitutio huius mundi, id est terminus creatus caeli et terrae, non in loco vel spatio esse dicatur, quomodo anima p. 47.
quae est incorporea, in corpore aut extra corpus tamquam in loco vel tamquam in spatio esse diceretur? Undecim quidem modis[2] aliquid in aliquo esse dicitur, qui *modi* sunt secundum rationes, quae de corporibus praedicantur: quia anima incorporea est, necessario [impossibile est] ut vel uno ex his undecim modis in corpore esse dicatur. Quomodo? Anima est incorporea. Atqui nullum incorporeum terminis corporeis suscipitur. Ergo evidenter nulla anima terminis corporeis et modis corporeis suscipitur. Sed sicut sancti angeli, qui cum in hoc mundo sint, non corporali modo hoc universum movent et ad congruum *finem* perducunt; aut si mavis, sicut lux in aere est, ita et anima, cum in corpore sit, non tamquam in spatio vel tamquam in loco, corpus vivificat et ad congruum *finem* movet. Et sicut sol hypostatice in caelo est, per virtutem illuminationis et caloris sui omnibus illuminando et calefaciendo prope est, cum locum vel spatium in corpore non teneat, ita anima hypostatice nullum quidem spatium vel locum in corpore occupat, etsi in eo creata, ligata et circumscripta est in nutu divino; at sua virtute et suo actu toti corpori praesens est, ipsumque vivificat, et movet, eique rationem tribuit.

[1] « στίγμα ». — [2] Moses bar Kefa, cap. 38 : « Locus corporibus conveniens decem modis dicitur : supra, infra, ad dextram, ad sinistram, ante, post, hic, illic, prope, longinquo ».

qui in hoc mundo et cum hoc mundo in principio ex nihilo creati et constituti sunt, cum hoc universo et per hoc universum omnes scientias colligunt, sine autem ipso nullam cognitionem actualiter habent — si enim ab hoc universo separarentur, in silentio antiquo manerent [1], — aut, si mavis, sicut lux, quae in principio in hoc universo ex nihilo creata est, in ipso actualiter, extra ipsum virtualiter possidet proprietatem suam: ita et anima in hoc corpore et cum eo ex nihilo creata est. Ideoque in eo et cum eo omnes scientias habet, extra illud vero, et sine eo nullam quidem scientiam actualiter habet. Causam enim materialem et efficientem omnium scientiarum in se ipsa, causam instrumentalem et formalem per corpus, ut ita dicam, aut cum corpore, habet. Ideo cum ipso omnes scientias formaliter et instrumentaliter habet: extra autem illud et sine ipso secundum perfectionem actualitatis nullam habet, omnes autem secundum causam materialem. Ita respondemus ad quaestionem, quaerentem [propter] [2] quid sit anima. Exposuimus enim et animam esse, et quid, et qualis et propter quid sit.

p. 45.

Caput secundum. Ubi sit anima. — Dicimus vocem « ubi » aut locum aut spatium significare. Locus et spatium de corporibus dicuntur; hoc ergo « ubi » de corporibus et propter corpora adhibetur. Anima autem incorporea et incomposita est, sicut monstravimus; ergo illud « ubi » animam minime respicit. — Si anima in loco et spatio esse dicitur, spatium autem et locus duas [3] dimensiones habent: ergo *anima* tres dimensiones habere debet. Omnia enim, quae spatio et loco concluduntur, tres dimensiones habent, et omne quod tres dimensiones habet, corpus est. Ergo anima non incorporea est. Sed demonstravimus eam incorpoream esse; ergo sine spatio et sine loco est anima. — Habitat quidem et est in corpore, non tanquam in spatio neque in loco; locus enim vel spatium nullam naturam incorpoream includit, sed tamquam natura incorporea in corpore. Sicut enim virtutes caelestes in hoc universo sunt, non tamquam in spatio vel in loco, sed tamquam naturae incorporeae in corporibus: ita quidem et anima in

p. 46.

[1] Varia testimonia huius sententiae v. apud Braun, *Buch der Synhados*, p. 351 sqq. — [2] Suppleas in textu ܠܡܢܐ — [3] Sic codd.

natura sua immortalem et incorruptibilem esse. — Omnes animae sunt aliae visibiles, aliae invisibiles; aliae corporales simul etiam compositae, aliae autem incorporeae et etiam incompositae sunt. Compositae etiam solubiles, incompositae autem etiam insolubiles sunt. Solubiles etiam mortales et corruptibiles, insolubiles autem neque mortales, neque corruptibiles sunt. Animae ergo rationales hominum, quae non videntur, neque mortales, neque corruptibiles sunt; animae autem visibiles bestiarum irrationales, mortales, ergo et corruptibiles sunt. — Christus quoque Dominus docet, animam non mori, neque solvi, ubi dicit discipulis [1]: « Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere ».

Primo itaque didicimus, num anima omnino sit, deinde quid et qualis anima sit. Nunc nobis discendum est, propter quid sit. Dicimus eam non simpliciter propter se creatam esse, sicut angelum aliquem aut cherub. Unusquisque enim angelus, sive p. 44.
seraph, sive alius ex virtutibus caelestibus, propter se creatus est, non propter aliud quoddam. Anima autem neque propter se, neque propter corpus creata est. Ambo enim propter perfectionem unius hominis creata et constituta sunt. Ideo neque sola anima, neque solum corpus homo est, sed ambo simul, et ex ambobus homo consistit. Creatur enim anima voluntate Dei in corpore, in quo habitat post perfectionem totius formae eius, ex nihilo. Non enim fluxu et stillatione sicut corpus et cum corpore constituitur. Incorporea enim et sine partibus est, sicut demonstratum est, et ideo non a fluxu et decisione est sicut corpora. Neque ante corpus est, sicut sentiunt Manichaei et Origenes; sed post perfectionem totius formae corporis in ipso voluntate Dei ex nihilo creatur. « Creavit spiritum hominis in eo » dicit Zacharias propheta [2]. « In eo » dicit, non « extra eum », aut « cum eo », aut « ex eo ». Quia in ipso creata est, non extra ipsum, idcirco in eo, cum eo et per ipsum omnes scientias et omnem cognitionem *anima* possidet. Per sensus eius tamquam per instrumenta [3] instruitur, sicut diximus. Corpus autem non *tamquam* instrumentum, sed potius *tamquam* partem possidet ad perfectionem naturalem et hypostaticam hominis, qui ex ambobus perficitur et completur. Et sicut angeli sancti,

[1] MATTH., X, 28. — [2] ZACH., XII, 1. — [3] « ὄργανον ».

anima autem naturaliter et secundum substantiam haec habet. *tunc* et corpus et anima simul his definiuntur, ille propter unionem, haec propter naturam. Ergo potius haec sunt definitio animae secundum naturam quam corporis in unione. Anima ergo est definienda: natura quaedam intelligibilis, viva, rationalis, mobilis, immortalis, invisibilis, quae in corpore ex
p. 42. nihilo creatur voluntate Dei in perfectionem et compositionem unius hominis naturalis et personalis, a corpore postea separanda, et iterum cum corpore unietur et cum eo in aeternum insolubilis manebit virtute Spiritus sancti.

Caput primum. Qualis et cur anima sit. — Hucusque didicimus, animam esse et quid sit. Quaeramus et qualis sit. Estne mortalis an immortalis, corruptibilis an incorruptibilis? Si anima quidem rationalis, mortalis est et corruptibilis, omne autem mortale et corruptibile etiam corpus est: omne autem corpus etiam compositum: ergo omnis anima rationalis composita est. Sed nulla anima rationalis composita est. Omne compositum et corpus est; nulla ergo anima rationalis corpus est. Omne quod [1] moritur et corrumpitur, corpus est; nulla ergo anima rationalis moritur et corrumpitur. Nullum mortale et corruptibile incorporeum est; ergo et omnis [2] anima rationalis incorporea est. Si autem omnis anima rationalis incorporea est, omne autem incorporeum necessario et immortale et incorruptibile est: ergo omnis anima rationalis immortalis et incorruptibilis est. — Rursum, si omnis anima rationalis moritur et corrumpitur, omne autem mortale et corruptibile ex elementis compositum est; ergo omnis anima rationalis ex elementis composita est. Atqui nullum elementorum rationale est; ergo et nulla anima
p. 43. rationalis est. Si autem omnis anima rationalis est intelligens, nullum autem elementorum rationale est; ergo nulla anima rationalis ex elementis est. Atqui omne mortale et corruptibile ex elementis est. Ergo nulla anima rationalis mortalis et corruptibilis est secundum substantiam. Si enim mortalis et corruptilis esset secundum substantiam, non posset *anima* corpus per suam unionem vivum et rationale facere. At vero, corpus per suam unionem vivum et rationale facit: evidens ergo est, eam

[1] Vox ܕܢܦܫ in textu delenda videtur; sed confer sequentia, de anima bestiarum dicta. — [2] In textu « nulla »; quod evidenter repugnat.

stantia est, omnis autem substantia *in se* subsistit; ergo anima existit, quia substantia *in se* subsistens est. Sed per actum animae primum eius existentiam deprehendimus.

Deinde quaeramus, quid sit secundum substantiam. Et hoc scire possumus ex actu eius in corpore. Quo modo? Si enim anima corpus vivificat, corpus autem est vivum rationale mortale: vivens quidem et rationale ex eius unione cum anima, mortale autem ex sua natura, ergo natura animae a fortiori viva et rationalis est. Aliter enim non posset corpus vivificare et rationaliter movere. Si autem corpus natura sua non erat vivum et mobile et rationale: et si anima corpori unita *est:* corpus autem in unione vivit, rationale est et movetur: ergo anima natura vivit, movetur et rationalis est, corpus autem ex unione vivit et rationale est et movetur.

Rursum autem, si anima accessione sua corpori vitam, motum, et rationalitatem tribuit, recessu suo illud non vivum, non mobile, non rationale facit; corpus *e contra* neque accessione ad animam, neque recessu ab ea, potest aliquid minuere aut augere in vita, mobilitate et immortalitate animae: et si is qui sua accessione existentiam, suo recessu inexistentiam aliis tribuit, multo magis profitendus est existere, quam is qui sive accessione sive recessu nihil aliis tribuit: ergo anima p. 11.
secundum substantiam aliquid vivum, mobile et rationale est. Neque enim alii dare posset, quod ipsa secundum substantiam et naturam non haberet.

Rursum autem, nobis intelligendum est, animae duas *res* esse, substantiam, inquam, et ea quae *sunt* circa substantiam. Substantia qualis? Spiritus vivus, incorporeus, simplex, aut quid aliud id significans. Quae autem circa substantiam, qualia? Vitalitas, mobilitas, ratio. Et sicut ignis ferro quod ipsi unitur virtutem suam dat, hoc est calorem et splendorem, substantiam autem suam et hypostasin dare non potest, numquam enim ferrum celeriter excitatur multiplici repetitione sicut ignis, ita et anima corpori sibi unito virtutes et operationes suas in unione dat, hoc est vitalitatem, mobilitatem et rationalitatem suam, substantiam autem propriam et naturam dare ei non potest. Corpus enim nunc quidem non potest fieri incorporeum, vita, spiritus, motio perpetua, unaque immortale. Si corpus vitalitatem, mobilitatem et rationalitatem per unionem habet,

videt. Sensibilia ergo per sensus ita assequitur mens. Naturas autem intelligibiles, incorporeas, non in earum essentia percipit, sicut diximus, — non enim sub sensum aliquem cadere possunt, — sed per medium, scilicet per actum quemdam ipsarum, eas noscit et assequitur. Si enim natura earum visibilis et sensibilis esset, in omnibus faciliter perciperetur. In seipsa enim signum essentiae et quidditatis suae daret, sicut dictum est. Nunc autem invisibilis est earum natura, et omnino insensibilis et per sensus inapprehensibilis, ita ut necessario per actum suum esse deprehendatur et cognoscatur.

Si anima natura intelligibilis et incorporea est, omnia autem intelligibilia et incorporea per actum suum esse deprehenduntur et cognoscuntur; evidens ergo est, quod anima per actum suum cognoscitur et deprehenditur esse.

Sed primo inquiramus, quid sit actus animae, deinde num sit, et
p. 39. quid sit *anima*. Dicimus actum animae esse, ut corpus vivificet et rationaliter moveat. Ex duobus unum: corpus aut propria vita vivit et movetur, aut vita animae. Si propria vita vivit et movetur, omnia autem quae propria vita vivunt et moventur immortalia sunt, ergo corpus immortale est. Corpus autem non est immortale; omnia autem quae propria vita vivunt et moventur, immortalia sunt; corpus ergo non vita sua et propria, sed vita animae, vivit et movetur. Et si corpus quidem vita animae vivit et movetur, omne autem cuius vita et motione aliud vivit et movetur, necessario existit, necessario ergo dicitur existere anima, quae corpus vivificat facile et movet. Neque enim aliud movere et facile vivificare posset, si ipsius natura non essentialiter existeret. Si ergo anima corpus, quod est substantia, vivificat et movet, et ipsa substantia est. Si autem aliquis dicat, animam non esse substantiam, *tunc* invenitur id quod non est, causa esse eius quod est. Quomodo? Corpus per animam vivit et movetur: anima autem non est substantia; ergo corpus, quod est substantia, ab illo quod non est substantia movetur, quod absurdum est. Id quod est substantia, ab illo quod non est substantia moveri non potest. Corpus ab anima movetur; ergo anima substantia est: est ergo id, quod alii causa motionis et vitae est.

p. 40. Si vita corporis actus animae est: omnis autem actus ex potentia oritur, omnis autem potentia substantiae et ex sub-

sibilia. Per sensus cognoscimus omnia sensibilia, non autem et non sensibilia. Sensus sunt quinque; quinque etiam omnia sensibilia. Si non sunt sensibilia praeter quinque, ergo neque sensus praeter quinque; et si non sunt sensus praeter quinque, ergo p. 37.
5 neque sensibilia praeter quinque. Sed sciendum est, omnia sensibilia in se dare signum existentiae, quidditatis et qualitatis suae. Non enim egent alio mediatore praeter sensum, in quo et per quem percipiuntur. Omnia autem intelligibilia non in se, sed per alium mediatorem signum existentiae et quidditatis
10 suae dant. Si enim intelligibilia omnia invisibilia sunt secundum naturam, omne autem invisibile secundum naturam per operationem suam cognoscitur, omnis autem operatio per mediatorem aliquem fit: ergo et omne intelligibile non in se aut in substantia sua, sed in operatione per aliud aliquid perci-
15 pitur et cognoscitur. Sensibilia enim alia per visum, alia per auditum, alia per odoratum, alia per gustum, alia per tactum percipiuntur. Cum enim omnia sensibilia in sensibus efformentur, ita elevantur ad intellectum ea probantem et perscrutantem, qui omnia iudicat et probat quoad essentiam et quid-
20 ditatem, et ex his proprietatibus colligit demonstrationem distinctam essentiae et quidditatis naturarum: cum accidentia a substantiis abstrahat et ad sensus remittat, essentiam autem nude sine horum admixtione respiciat. Et quomodo? Sensus vident Socratem, qui, ut ita dicam, longus est aut brevis, albus
25 aut niger, aut rhetor aut philosophus et caetera huiusmodi, quae rationem accidentis retinent. Sensus quidem, ut ita dicam, p. 38.
cum accidentibus Socratem obtulerunt menti: [mens][1] autem, sicut diximus, accidentia quidem quasi involucrum sensibus dimittit, ipsa vero ad perceptionem naturae et cognitionem
30 substantiae accedit, et percipit eum esse hypostasim quamdam substantialem, in se subsistentem, simulque causam subsistentiae etiam accidentium: in ipsa enim habent subsistentiam et sine ipsa esse et permanere minime possunt. Percipit etiam, eum esse quemdam vivum, rationalem, mortalem. Et ex iis,
35 quae in subsistentia individua invenit, et ea, quae in toto genere inveniuntur, concludit: omnem etiam hominem vivum, rationalem et mortalem esse. Per singularia enim universalia

[1] Vox ܡܕܥ e textu excidisse videtur.

Omnia, o domine Christum colens, quocumque modo sint, aut ratione fidei, aut intellectu, aut sensibus esse praedicantur. Aliter autem et alio modo creaturae, ut mihi videtur, ad perceptionem rerum quocumque modo sint pervenire non possunt.

Per fidem accipimus cognitionem de Deo et propter Deum. Cum enim intellectus noster creatus sit, omne autem creatum necessario finitum sit: iam evidens et manifestum est cognitionem nostram limite circumscribi. Si cognitio nostra limite finita est: Deus autem omnino in omnibus infinitus sit, infinitus autem a finito nullo modo secundum substantiam [1] percipiatur, iam evidens et manifestum est illam naturam aeternam cognitione creaturarum, secundum substantiam nullo modo percipi.

Si possibile esset eam quodammodo percipi, aut totaliter aut partialiter perciperetur. Si secundum naturam partialiter perciperetur: omnia autem quae partes habent composita
p. 36. sunt secundum naturam, nihil enim compositi simplex praedicatur: cum iam aliqua parte perciperetur, parte autem alia non perciperetur, Deus necessario et simplicitatem essendi cederet. Sin autem Deus simplex in omnibus praedicatur, et nihil simplicis compositum est, evidens ergo est Deum non esse compositum. Quod autem compositum non est, nec partes habere dicitur. Ergo Deus sine partibus est. Qui autem sine partibus est, neque in quibusdam partibus percipi, in parte autem aliqua non percipi dicitur. Ergo Deus secundum substantiam partialiter non percipitur. Quodsi Deus non quidem partialiter, sed totaliter secundum substantiam percipi posset, totaliter autem percipiens totaliter percepto praestantior est, ergo praestantior esset ille intellectus, qui Dei substantiam et naturam totaliter perciperet, quam Dei substantia totatiter percepta; quia intellectus includeret perceptione substantiam Dei, substantia autem Dei intellectu includeretur. Quae si absurda sunt, et si natura Dei infinita et incomposita est, ergo neque totaliter neque partialiter percipitur natura Dei. Neque totum neque pars in eo est, neque licet omnino de eo dicere id quod non est. Ergo in fide tantum Deus adorandus est, non in inquisitionibus perceptionis.

Per intellectum inquirimus et naturam intelligibilem et sen-

[1] « οὐσία ».

alta voce: « Oremus. Pax *sit* nobiscum ». cum stet diaconus post reconciliandum. Sacerdos oret alta voce orationem: « Congrega nos ad ovile tuum » aut aliam idoneam, et *deinde* incipiat šurraya [1]: « Ad te, Domine, animam meam levavi », tono flebili, et addat ei eius qala [1]: « Dominus illuminatio mea et salus mea », et ad finem perducit. *Tunc* orat et incipit antiphonam: « Super fundamentum petrae », recitat eam et dicit laudationem: « Ad peccatorem, qui poenitentiam facit » aut: « Fili, vocasti me » aut alium qala [1] idoneum. Et incipiat diaconus aut nocturnarius canonem: « In multitudine peccatorum », cum psalmo: « Miserere mei Deus, secundum gratiam tuam » aut: « Inclina, Domine, aurem tuam ». « Christus amans peccatores », et hymnum « Porta veritatis » aut « Extende, Domine, dexteram tuam ». aut « Te confitebimur et adorabimus ». Proclamatio autem post mysteria non congruit: sed ter dicant secundum consuetudinem, submissa voce, « Sanctus »; sacerdos oret duas orationes et non finiat benedictione ultima. Genuflectat reconciliandus et surgat. Et recitet super eum impositionem manus de reconciliatione, quae in codicibus scripta est. Et sacerdos imponat manum suam super caput reconciliandi et signet caput eius signo crucis in fine inclinationis *sacerdotis* et signet eum oleo unctionis in fronte, pollice dextro, ab infra in supra et a dextra reconciliandi in sinistram. Et dicat sacerdos: « Signatur, benedicitur, sanctificatur et perficitur N., in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in saecula. Amen ». Et respondent: « Amen ». Et dimittit eum sacerdos ad portam absidis, ubi signatus est. Et recedit sacerdos per portam magnam et perficit officium suum et cum communio distribuitur, illi primo dat, ad honorandam signationem. Et dicit sacerdos post mysteria quaedam verba idonea, et « Ora pro me ».

II. — Eiusdem sancti Dei, Mar Timothei catholici ad Rabban Boktīšoʿ, diaconum, et medicum regis. p. 35.

Sapientissimo et doctissimo *in* omnibus *rebus* naturae et scripturae, Christum colenti Rabban Mar Boktīšoʿ, diacono Christi et medico principi [2] regis victoriosi; Timotheus, vilis, servus exiguus Domini nostri: Pax.

[1] Est pars quaedam officii. — [2] « ἀρχιάτρος »

hoc est synodo oecumenicae, quae iubet eos, qui a quacumque haeresi ad nos redeunt, per orationem et absolutionem recipiendos esse ». Sed bene canonem et constitutionem ordinarunt in cognitionem rei: « Qui festa non immutaverunt, scripturas non corruperunt et usum baptismatis habent, isti sunt recipiendi ». 5
p. 33. Sed haec dixerunt ubi idem erat oleum, aut non erat oleum morientis [1]. Apud nos autem patet, has duas haereses non possidere oleum apostolorum [2]. Et Iacobitas scripturam corrupisse, notum est ex eo quod dicunt: « Deus enim in gratia sua pro omnibus mortem gustavit [3] » et *pro* « Non ex angelis sumpsit » 10 dicunt: « Non enim in angelos imperium dedit morti [4] »; et ex alia *lectione* eiusdem indolis, quam stulte *loquuntur* [5]: « Ipse autem dixerat de templo ecclesiae suae »; quae assumptiones et Syro et Graeco repugnant. Haec dixi non tentans stare contra virum fortissimum, indutum armis scientiarum divina- 15 rum, summum sacerdotem veritatis et magistrum omnium nostrum, sed ut rem exponerem, ut omnes sciant, eos valde remotos et alienos esse ab ecclesia sancta. Cum autem vellet sanctus ille, ut ratio haberetur eorum, qui ab iis ad ecclesiam convertuntur, ut conversio eis magis facilitaretur et provideretur, et 20 cum adhaereret canonibus antiquis, ante quos haereses ecclesiae mixtae erant, et patres volebant ut sanatio inter nos facilis et plana esset, ut gregi ecclesiae iungerentur: aequum existimo ut fides ei detur, et quia caput erat, verbum eius recipiatur, et quia doctor, decisio eius firma sit. 25

Ordo reconciliationis. — Ordo autem reconciliationis administrandus, complendus et perficiendus est hoc modo:

Cum dicitur canon: « Unus pater sanctus » in fine missae, diaconus non dicat: « Glorificate », sed sileat populus et exeat sacerdos qui consecravit, si est archipresbyter, cum aliis sacer- 30 dotibus et diaconis, exceptis illis duobus qui ad altare mini-
p. 34. strant, ad limen gradus infimi ante absidem. Et dicat diaconus

[1] Locutio obscura; sensus videtur esse: « ita locuti sunt, quia tunc haeretici idem ac orthodoxi oleum adhibebant in baptismo, aut saltem non oleum infirmorum », ut facere putantur Chalcedonenses et Severiani. — [2] Cf. *B. O.*, III, II, 279, sqq.; W. Rubruk Nestoriani in Karakorum narraverunt, se eo oleo uti, quo Magdalena pedes Domini unxit (p. 214). — [3] *Heb.*, II, 9; aliquid deesse videtur. — [4] *Heb.*, II, 16. — [5] Iohann., II, 21.

cenda est. Si autem ab ea sunt, quae utramque confitetur, sed diverso modo et sensu remoto unionem naturalem aut hypostaticam esse dicit, non voluntariam et personalem, sicut orthodoxia, huius baptisma *verum* est baptisma, etsi impuritas fidei haereticae et sordes unionis naturalis aut hypostaticae id obscurat. Contentio et remotio nostra ab invicem non versatur circa sanctam Trinitatem neque circa unitatem naturae adorandae. Sed potius lis et controversia est nobis de modo unionis et de distinctione qualitatis et specificationis eius ». Et ad canonem et decisionem post multas refutationes et disputationes veniens dicit: « Ii, qui ex haereticis ad nos veniunt, reconciliatione per orationem et unctionem oleo sancto unctionis, non per alterum baptisma recipiendi sunt ». Haec summus sacerdos in epistula illa statuit. Pariter et in epistula secunda ipsius ad eundem Salomonem, episcopum Ḥedatta, data. Rursum de eadem re definivit et statuit in epistula ad Iohannem, episcopum Ḥedattā, quae est post duas priores. Additamentum *invenitur* et in epistula quarta, quam scripsit ad Māranzekā episcopum Nīnevē [1], p. 32.
in qua sublimiter disputat et demonstrat, Severianos et Chalcedonenses non esse baptizandos, sed oleo nostro sancto unctionis necessario esse signandos post orationem propriam poenitentialem et absolutionem integram a sacerdote factam. Mihi autem et hoc congruum videtur, ut deprehendantur [2], si viri sunt in scientia ecclesiastica perfecti aut homines fide digni, qui anathematizent haeresiarchas suos et confiteantur ore et labiis sanctam ecclesiam orthodoxam et capita valida confessionis et fidei eius. Quod si sanctus ille haec non decrevisset et statuisset tamquam doctor magnus et pater veritatis, bene ad illud *redirremus*, quod asseclae Cypriani xx canonibus statuerunt et decreverunt: omnino omnes, qui ex quacumque haeresi, ad ecclesiam veniunt, post baptisma nostrum proprium recipiendos esse. Sed bene ipse sanctus Mar Timotheus demonstravit synodum asseclarum Cypriani acceptam esse apud sanctum Dionysium, patriarcham Alexandriae, non autem apud sanctum Stephanum, patriarcham Romae acceptam fuisse. Dicebat enim hic: « Non licet scriptis antiquorum novam decisionem addere,

[1] Cf. infra, epist. XXV. — [2] Puto corrigendum « innoventur » (ܢܚܕܬܘܢ).

p. 30. DEINDE [1] SCRIBAM QUAESTIONES DE BAPTISMATE COLLECTAS EX EPISTULIS SANCTI DEI, MAR TIMOTHEI, CATHOLICI PATRIARCHAE ORIENTIS, AD SALOMONEM EPISCOPUM ḤEDATTAE, HAC DE RE: UTRUM IACOBITAE ET MARCIANITAE [2] [RE]BAPTIZANDI SINT, AN NON.

Caput *demostrans* Iacobitas et Marcianitas reconciliandos et signandos esse oratione speciali, praefationibus et antiphonis congruentibus, toto canone et ordine, oratione impositionis manuum super reconciliandos, tunc signatione olei sancti unctionis in fronte, pollice [3], ab infra in supra et a dextra reconciliandi in sinistram eius, dum sacerdos dicit: « Signatur, innovatur, sanctificatur et perficitur N. in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » [4]; secundum demonstrationem s. Mar Timothei, stellae ecclesiasticae, doctoris universalis: eos autem non esse baptizandos.

Ex epistula eiusdem sancti Mar Timothei, lampadis lucis, ad Salomonem ep. Ḥedattā de hac re scripta, quae inscripta est « De baptismate: quod non deceat baptizare Cyrillianos », et initium eius est: « Canoni recto et regulae », et cuius finis hic prae oculis tuis est. Post multa alia quae dixit et exposuit ita concludit. « Si ab haeresi, quae divinitatem Domini tantum confitetur, humanitatem autem negat, baptizati sunt, rebaptizandi
p. 31. sunt ». Iterum contrario usus constituit: « Si ab ea sunt, quae confitetur humanitatem, divinitatem autem tantum negat, rebaptizandi sunt. Si autem sunt ab ea, quae utramque negat, haec non haeresis, sed paganismus potius et religio vana di-

[1] Haec nota ab alio collectore epistularum scripta esse videtur, quia enumeratio sectarum diversa est. Insuper collector ille sententiae rigidiori favebat. Quae sententia postea praevaluisse videtur. Narrat quidem Rubruk (versio ROCHILL, p. 213) Hungaros, Alanos, Ruthenos, Georgios et Armenos, qui suo tempore captivi in Karakorum vivebant, a Nestorianis ad sacramenta non fuisse admissos, quia se rebaptizari non patiebantur. — [2] Intellige Chalcedonenses, ita a nomine Marciani imperatoris vocatos. — [3] De signatione indice facta, cf. DIETTRICH, *Die nest. Tauflitiurgie;* Giessen, 1903, p. 61 sqq. — [4] Secundum Išō'yahb III patriarcham formula est: « Signatur, sanctificatur, et perficitur N. in fide nostra recta orientali in nomine Patris etc. ».

qui paritatem substantiae divinae impie in disparitatem scindebant, et magnum, parvum et parvo minorem in divinitate *esse* blasphemabant, eosque fratres appellat, quia ex eodem baptismate spiritali nati erant, quanto magis ergo nostrum et Melchitarum et Severianorum baptisma unum profiteri deceat, qui in multis et magnis concordes sumus, in parvis tantum dissentimus, sicut dicit stella illa, Ḥenānīšōʿ, catholicus magnus. Sicut enim animalitas una eademque est in homine, in equo et in asino, qui quantum ad animalitatem nihil differunt, in eo autem ab invicem differentiam habent, quod alter *est* animal rationale, mortale, alter animal irrationale mortale hinniens, alter animal irrationale rudiens; ita et baptisma unum idemque est in nobis et in illis, et in baptismate quidem non distinguimur, distinguimur autem ab invicem eo quod nos quidem unam imaginem unicam personae filiationis, in quam omnia divina et humana in unione imperscrutabili et ineffabili colliguntur, in duabus naturis subsistentibus et substantialibus confitemur: illi autem unam naturam et personam in duabus naturis et ex duabus naturis confitentur et praedicant. Diversitas talium proprietatum et dogmatum [1] diversitatem baptismatis et mutationem non operatur. p. 29.

Sed his hic finem faciemus. Fortasse et haec molesta videntur lectoribus. Sanctitas autem tua bene et recte dicta recipiat; quae non pulchre nec recte, corrige secundum legem charitatis Christi, qui te et nos confortet ad perficiendam voluntatem suam. Amen.

Explicit auxilio Domini nostri epistula quae scripta est a parte venerabilis Mar Timothei catholici ad Salomonem episcopum Ḥedattae.

[1] « δόγμα »

imperscrutabili incarnationis contendunt, omnino eandem esse nativitatem, quae in Spiritu perficitur, idem sacrificium et suavitatem scripturae.

Decet ergo eos qui ex haereticis ad nos redeunt, per reconciliationem orationis et per olei unctionem tantum, non per baptisma secundum, recipere. Sicut enim impudentia est sacrificium bis sacrificare et perficere, ita impudentia mihi videtur, cum quis per baptisma semel perfectus et initiatus sit, eum iterum baptizare et purificare in eodem nomine et virtute Trinitatis. Si enim in Trinitate, quae omnia bona possidet, nos simul et illi baptizamus et baptizamur, et non nos Trinitati *damus*, sed Trinitas nobis charisma dat: Trinitas autem aeterna et divina una eademque apud nos et vos est et adoratur; ergo apud nos et apud vos unum quoque baptisma est. Unus enim et Dominus est, per quem nobis datum est.

p. 28. Tertium testimonium verbis nostris dat clarus ille Amphilochius, qui magni Basilii opiniones suscepit, et ecclesiam Iconii pure administravit. Dicit enim contra Arianos in homilia de « Pater, qui me misit, maior me est », haec [1]: « Fratres sumus, non hostes. Unum baptisma nos genuit, etsi vos dehonorastis dolores matris vestrae. ' Alienati sunt enim peccatores a ventre et erraverunt ab utero, qui locuti sunt mendacia ' [2]. Sane illi enim e lavacro baptismatis tamquam ex utero apparuerunt; *et eos alloquitur:* blasphemastis gratiam, mendacium de Christo loquentes, et professionem vestram non servastis. In baptismate Patrem et Filium et Spiritum sanctum confessi estis; post baptismum finxistis vobis deos, magnum et parvum, et parvo minorem. Ne ergo dolores matris vestrae dehonoretis, neque stirpem bonam fratrum vestrorum negetis, fraterne comprobemus [3] hanc sententiam quod unius regis servi sumus, non multorum, qui bellum parant ». Ita praeclarus ille Amphilochius. Videamus quomodo baptisma quidem unam matrem, unum ventrem et unum uterum, orthodoxos autem et Arianos haereticos fratres nominat, quia ex uno eodemque baptismate, quod matrem et ventrem et uterum dicit, nati sunt. Et si revera unum est, prout dixit doctor, baptisma nostrum et Arianorum,

[1] Fragmentum hucusque non repertum est. — [2] *Ps.* LVII, 4. — [3] Ita e contextu, vox ܡܫܒܚܝܢ corrupta forte sit.

cera, auro vel luto nihil amplius sumit, sed potius similitudinem dat imaginis et formae, ita et virtus et charisma baptismatis nihil a mediatore sumit, sed potius similitudinem deitatis et claritatem donat et communicat, quantum vincti in carne Spiritui assimilari possunt.

Non esse baptisma secundum, Gregorius Theologus in homilia de baptismate aperte docet dicens: « Non est iterum nativitas secunda, neque formatio secunda, neque [restitutio] in integrum, quantopere hoc et petimus multis gemitibus et lacrimis, ex quibus vix venit cicatrix, secundum meam constitutionem et legem. Credimus enim eam venire » [1]. Hoc dicit de poenitentia et lacrimis.

Ḥenanīšōʿ [2], magnus ille patriarcha, qui speculatione simul et orthodoxia ornatus morumque praestantium laude coronatus erat, quique linguam et labia aurea habebat, in iis, quae ad quosdam haereticos scripsit post illud exilium [3], quod ipsi iustificationem, osoribus autem eius ignominiam coram Deo simul et hominibus paravit, ita *dicit*: « Quis considerans sublimia confessionis nostrae, quae eadem est eis (*ecclesiis?*), Trinitatem nempe sanctam, baptisma novum, quod in virtute Spiritus perficitur, sacrificium unigeniti, suavitatem [4] scripturae et caetera, quae non omnia enumerabo, contemnendam et parvae p. 27.
sollicitudinis dignam habebit hanc unionem propter nonnulla hisce minora e quibus hucusque dissensio orta est, dum in pluribus, et, ut ita dicam, in omnibus quae ad salutem et salutarem confessionem pertinent, aeque participes sumus? Etsi parva inveniuntur, quae nobis dissensiones parturiunt, decet vos vestra reputare quae nostra sunt, sicut et nos quae vestra sunt *nostra reputamus* ». Ecce, magnus ille doctor universalis in tota scriptura versatissimus, in orthodoxia accuratus et firmus, docet, apud nos et apud eos, qui nobiscum de mysterio

[1] S. Gregorius Naz., hom. *De baptismate* (Migne, *P. G.*, t. XXXVI, col. 368). — [2] Ḥenānīšōʿ I « Claudus » ordinatus catholicus anno 686 (684?), ex insidiis Iohannis « Leprosi », metropolitae Nisibis, ab ʿAbd el-Malik chalifa depositus est; cui idem Iohannes anno 693 suffectus est. Iohanne post circiter duos annos mortuo, restitutus est Ḥenānīšōʿ. Defunctus est anno 701 (699?). Inter scripta eius Ebediesu Nisibenus (*B. O.*, III, I, 154) epistulas memorat. — [3] ἐξορία. — [4] R « identitatem »: hic et infra.

octavo constituerunt, ut ii qui de haeresi Phrygum sunt, maiores eorum simul et minores, quia circa theologiam simul et circa incarnationem erraverunt, non per orationem tantum et absolutionem, sed omnino per baptisma reciperentur [1]. Isti quidem ita. Haeretici autem nostri temporis de modo unionis tantum contendunt: de unitate Dei in Trinitate et Trinitate in unitate Dei, de incarnatione Filii Dei ex natura humana, quae *incarnatio* acquisita est in assumptione mentis, animae et corporis, de celebratione festorum, de receptione duorum testamentorum nulla lis est inter eos et ecclesiam catholicam, sicut [diximus] [2]. Si rei-
p. 25. cimus baptismata [rectum] [3] mysterium habentia, horum autem baptisma in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perficitur, ergo ad ipsam Trinitatem reiectio se extendit. Si verum Trinitatem adorandam reiicimus, in Trinitate autem et nos initiamur et perficimur, quomodo ergo non et baptisma *nostrum* reiicimus? Sed adoramus et honoramus nomen adorandum Trinitatis. In Trinitate autem et Melchitarum et Severianorum baptisma perficitur. Ne ergo reiiciamus eorum baptisma, si in eadem invocatione et virtute Trinitatis sacramentum habet.

Dicis: Amara est aqua *eorum*, sicut *aqua* Marae [4] et civitatis filiorum prophetarum [5]. Sed et nunc prope habemus Moysen et Elisaeum, qui ligno et sale aquas saliunt [6]. Habemus sacerdotes et pontifices, qui loco ligni amari ligno crucis vivificantis et loco salis oleo unctionis amaritudinem haereticorum saliunt. Natura Spiritus et aquae eadem est apud nos et illos. Qualitas autem non una eademque est, neque in aqua. Sed crede gustum et qualitatem mutari in impositione manus et signo crucis vivificantis et in oleo unctionis *in reconciliatione*. Abstergit enim *oleum* et purgat etiam a lepra blasphemiae et sordibus impietatis. Si ergo charisma a mediatoribus impuris et intercessoribus [7] non incontaminatis nec immaculatis aliquid
p. 26. pati potest, tamen ego dico: Sicut sol a materia [8] nihil accipit, sed potius, quantum possibile est, virtutem illuminandi et similitudinem suam communicat; et sicut sigillum regis a

[1] Synodus Laodiceae; can. 7 et 8 liberius citati. — [2] Vel « sicut erat illis antiquis haereticis ». — [3] Lacuna; coniiciendo supplevimus. — [4] *Exod.*, xv, 22-25. — [5] IV *Reg.*, ii, 19-22 — [6] Videtur utroque loco pro ܡܬܡܪܝܢ legendum ܡܬܡܪܝܢ « dulces faciant ». — [7] « συνήγορος ». — [8] « ὕλη ».

illa in eis de quibus disputatur. Plurimi enim haereticorum illius temporis ne baptizati quidem erant in nomine Trinitatis: alii baptizati quidem erant, *at* non in nomine Trinitatis connaturalis et consubstantialis, sed in *nomine* non consubstantialis et non connaturalis; alii in nomine vano Trinitatis, p. 23.
quam non in tribus hypostasibus, sed in una esse dicebant; alii, ex sententia iudaica, Trinitatem omnino negabant et Christum hominem simplicem confitebantur; alii, e contrario, Christum Deum tantum dicebant, sicut antea dictum est, cum et scripturas corrumperent et perturbarent. De his et talibus haereticis patres antiqui haud iniuste constituerunt, eos sine lustratione baptismatis in ecclesiam non esse recipiendos. Aut enim omnino non baptizati erant, aut in nomine vano et vacuo tantum. Haeretici autem posteriores, qui synodos CCCXVIII et CL *patrum* suscipiunt earumque constitutiones etiam recipiunt [1] anathematizantes omnes haereses, qui recipiunt utrumque testamentum, confitentur Christi divinitatem et humanitatem, adorant nobiscum Deum trinum in signo crucis et versus orientem, et qui in corpore et sanguine Filii Dei participant, quomodo aut cur baptizari possunt, cum semel secundum mandatum Domini in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati sint? Non de his canonem constituerunt, ut baptismate mundarentur, sed de iis, qui aut omnino non receperunt baptismum aut receperunt in nomine vano tantum, ut diximus. Ecce patres CCCXVIII in canone octavo iusserunt, ut Novatiani, qui et Cathari dicuntur, per p. 24.
orationem tantum et oleum unctionis, non per baptisma, in ecclesiam catholicam intrarent [2]. Non enim in rebus theologiae [3] et incarnationis, sed in disciplina, Novatus eiusque asseclae erraverunt et peccaverunt, sicut supra dictum est. Pariter etiam, qui postea Laodiceae congregati sunt, *in* canone septimo, eos qui de haeresi Photinianorum, Novatianorum, Quartodecimanorum [4] sunt, non per baptisma, sed per anathema haeresiarcharum suorum et omnium aliarum haeresium, postquam de symbolo fidei edocti et unctione olei signati sunt, in ordinem ecclesiae catholicae recipiendos esse dixerunt. In canone autem

[1] Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum (?). — [2] Neque synodi Nicaenae canon 8, neque pseudonicaenorum canonum Marutae can. 1 talem unctionem postulant; sed synodi Constantinop. I, can. 7. — [3] « θεολογία ». — [4] « τεσσαρεσκαιδεκατῖται ».

sensum interiorem plane perverterunt et corruperunt. Severiani autem et lectiones [1] et sensum pariter corruperunt et pertubaverunt, sicut intelligitur [ex hoc] [2]: « Ipse enim absque Deo pro omnibus mortem gustavit » et: « Non ex angelis sumpsit, sed ex semine Abraham sumpsit » [3]; haec enim mutaverunt et loco prioris dixerunt: « Ipse enim Deus in gratia sua pro omnibus gustavit mortem »: loco alterius scripserunt: « Non enim in angelos imperium dedit morti, sed in semen Abraham imperium dedit morti ». Quod si non multos, paucos tamen locos perverterunt et perturbaverunt. Propter haec et similia non nos ad illos converti decet, sed illi ad nos redire debent, sicut filius prodigus ad domum patris. Sicut enim natura aquae una est, in terra autem mutatur et qualitates assumit, p. 22. cum hic dulcis et potabilis, hic salsa, hic amara fiat, non natura et substantia, sed qualitate et gusto immutatis, ita et baptisma unum est apud nos, et Chalcedonenses et Severianos; ex organis [4] autem et ministris, terrae et aquae instar, orthodoxi puri sunt, Chalcedonenses et Severiani salsi et amari. Non baptisma intendimus: in nomine enim Trinitatis adoratae et connaturalis perficitur, sed ministros et mediatores, quia magnitudinem gloriae deitatis blasphemant.

Sed dicet aliquis: Quomodo dicis eos, qui a haeresi redeunt, a nobis non esse baptizandos, cum *in* canonibus synodalibus per Clementem Romanum *datis* [5], et in iis Cypriani Carthaginiensis in Africa [6], et in iis qui Laodiceae constituti sunt [7], scriptum sit, sine baptismate eos nullo modo esse recipiendos, qui ab haeresi ad ecclesiam catholicam redeunt? Hic respondemus: Respice verba tua, o sapientissime, et intende temporibus simul et rebus in temporibus *actis*! Neque Severiani neque Melchitae tunc erant. Neque diebus Clementis Romani, neque diebus Cypriani Afri, neque in synodo Laodiceae ulla species haereticorum et haeresiotarum [8] *erat*, quae aliquid commune cum omnibus *ecclesiis* haberet, quemadmodum *se habet species*

[1] « λέξις ». — [2] *Heb.*, II, 9. De lectione Nestoriana, cf. ELIAS NISIBENUS: *Beweis der Wahrheit des Glaubens* (vert. HORST), p. XVIII sq., 66. *B. O.*, III, II, 238 sq. — [3] *Hebr.*, II, 16. — [4] « ὄργανον ». — [5] Canon apost., 47 (46). — [6] S. Cypriani epist., 70-74, et Sententiae episcoporum LXXXVII in concilio anno 256 habito. — [7] Syn. Laod., can. 7 et 8. — [8] De distinctione hac cfr. BRAUN: *De s. Nicaena synodo*; p. 40.

Postea autem et hoc quaeramus. Num tu separasti te ab illis, an illi se separaverunt a te? Si tu veritatem eorum reliquisti, p. 20.
tu potius ad eos redire debes quam illi ad te. Si autem illi veritatem reliquerunt, illi potius a te baptismum sumere de-
5 bent quam tu ab illis. Sed fortasse dices, de hoc quidem controversiam agi. Illi enim dicunt: vos a veritate discessistis; nos autem contrarium *dicimus*. Quae controversia ut solvatur, et ut intelligatur quis a veritate ecclesiae discesserit, accedamus ad evangelium Christi, tamquam ad tribunal [1] eius,
10 simulque et ad vetus testamentum eius. Si in *veteri* et novo testamento invenimus Deum nascentem ex Virgine, Deum patientem, morientem et crucifixum, Deum sepultum et resurgentem ex mortuis: haec si invenimus in novo et veteri, patet, nos a fundamento veritatis recessisse, illos autem incon-
15 cussos stare super verba scripturae. Sin autem talia verba in scripturis Spiritus inveniri omnino non possunt, sed potius sicut nos dicimus: Filium nascentem ex Virgine, Christum patientem et crucifixum, filium hominis sepultum et resurgentem, — ita enim scriptum est in novo et veteri, — patet et manifestum
20 est nos quidem super petram sententiae nostrae, super quam Dominus ecclesiam suam aedificare pollicitus est [2], et, sicut aurum, lapides pretiosos et margaritas, super fundamentum veritatis evangelii firmatos esse [3]: illos autem concussos, infirmatos, lapsos esse et recessisse a fundamento veritatis fidei.
25 Illi ad veritatem, e qua recesserunt, redire debent et ad nos qui nunquam fraudes veritati nostrae miscemus, neque p. 21.
adulterationem facimus in verbis Dei; non autem nos ad illos. Non ergo decet nos ab illis, sed potius illos *a nobis* recipi, neque decet nos ab illis baptizari, sed illos a nobis, neque
30 decet nos intrare in eorum delubra, sed magis congruum est illos in templa nostra ingredi. Illi innovaverunt verba et nomina blasphemiae de fide, non nos. Arius enim, Eunomius, Macedonius et Apollinaris in ipsismet verbis Scripturae nihil erraverunt, contra sensum verborum autem valde peccaverunt.
35 Male enim ea intellexerunt et peius interpretati sunt. Corpus et formam externam firmiter servaverunt; mentem autem et

[1] « βῆμα ». — [2] MATTH., XVI, 18. Similiter ELIAS NISIBENUS: *Beweis der Wahrheit des Glaubens* (vert. HORST), p. 87. — [3] I *Cor.*, III, 11.

splendentes meditatione[1] et praestantia morum, quid cogit te, proprias quidem divitias deserere, ad alienas autem respicere, mensam paternam divitem panibus mundis et praeclaris relinquere, et tamquam egenum ad mensam alienorum accumbere, cuius panes non omnino mundi sunt ab arena, quae frangit dentes molares, non autem dat nutrimentum aut male nutrit? Noli te ipsum pauperem facere, cum dives sis, et noli egere alio, cum plenus sis. Illum decet potius ad tuam quam te ad illius mensam accumbere. Illum decet ex tuo cratere, potius quam te de illius convivio bibere. Illum decet ad te
p. 19. redire, sicut prodigum illum ad domum paternam[2], non autem te decet ad eum converti. Illum decet concupiscere cibum de domo paterna, id est panem vivum et vivificantem, potius quam te concupiscere cibum seu siliquas porcorum. Quid concupiscis mensam et potum alienorum, cum recumbas ad mensam et ad convivium laetificans te? Quid ornatus es vestimentis alienorum, cum tibi sint vestes praeclarae et regiae, quae te simul et alienos ornarent? Tu frange panem tuum praeclarum illi famelico! Tu indue vestimento tuo nudum illum! Tu praebe potum spiritalem illi sitienti! Absurdissimum et valde irrationabile est te, cum sis dives et abundans, ille autem egenus et pauper, divitias tuas et abundantiam spiritalem deserere et euntem te prosternere et stare ad portam eius, tamquam pauperem vagum et indigentem, ut mendicares ab alienis et peregrinis, cum omnia dives multo abundantius et multo plenius possideas. Absurdum est te, postquam reclinaveris ad fontem aquarum vivarum, talem potum relinquere ut eas et bibas ex fontibus plenis sanguisugarum aut ex aquis salsis et potui inaptis. Sicut mundum est matrimonium tuum et mundum est vicini tui matrimonium legitimum, tamen neque illius *matrimonium* tibi mundum est, neque tuum illi mundum est, ita purus est fons baptismatis puri omnium nostrum, attamen non licet tibi illius *baptismate* baptizari, cum habeas ablutionem divinam et spiritalem liberrimam a verbis blasphemiae et murmurationis. Illi autem necesse est ut currat e suo ad tuum, quasi ab impuro et impure ministrato ad purissimum, lucidissimum et praeclarum.

[1] « θεωρία ». — [2] Luc., xv, 11 sqq.

nobis idem est. Secundum naturam quidem, non autem secundum qualitatem orthodoxiae et haereseos, iidem sumus, quia nos in auro mundo rectae fidei sigillum regni tenemus, illi autem in argento reprobato et aere. Et sicut in Sem, Cham et Iaphet eadem similitudo et imago Dei videri potest, non autem eadem qualitas et modus, cum alter in praesentiam et familiaritatem Dei, alter in amplam diffusionem, alter in servitutem et subiectionem praedestinatus fuerit, ita et sigillum regium sancti baptismatis unum et idem est in nobis, in Severianis et in Melchitis, et imago regis una: splendor autem, decus et gloria non eadem sunt. Et sicut lux solis una est, sive in aurum, sive in lapidem aut lignum diffunditur, splendor autem lucis non unus et idem est, sed in aurum magis immittit radium lucis suae, minus autem in lapides et ligna; et sicut in materiis quidem magna differentia apparet, nulla autem in luce solis: ita et sigillum regium baptismatis reconciliantis unum est in nobis orthodoxis tamquam in auro et in aliis illis tamquam in lapidibus et lignis. Splendor autem et nitor eiusdem non unus et idem est in nobis omnibus, sed in nobis pure et clare fulget, quia puri sumus a *confessione* passionis et mortis immortalis *Dei*; in contentiosis [1] autem et perversis parvus apparet splendor propter inquinamentum et sordes blasphemiae, scilicet unionis naturalis p. 18.
et hypostaticae quam confitentur, quae necessarie immortalem in mortem, impassibilem in passionem, et non compositum in compositionem peractam trahunt.

Fortasse obiiciet aliquis et dicet: Si unum et idem est baptisma, quid impedit, quin et nos ab iis baptismum recipiamus. Ad hoc primum quidem respondemus: Si in tota ecclesia ortodoxa non est sacerdos: neque presbyter, neque episcopus, neque metropolita, neque patriarcha, tunc ex necessitate decet te ab hæreticis baptizari et premere pede portam post portam et domum post domum petereque panem et aquam ab alienis potius quam mori fame et siti. Si autem multae sunt ecclesiae orthodoxorum, et numerosi, varii splendidique sacerdotes et summi sacerdotes sicut stellae caeli, splendentes orthodoxia,

[1] Cf. *Can. nicaen. arab.*, 33: Haereses nominant eos (haereticos) Graeci et Syri; lingua arabica dicuntur « contentiosi », مماروں (Cod. ar. Vat. 149, 162*a*β). Haec etymologia vocem « haeresis » cum syr. ḥerjājā « contentiosus », componit.

concha constituta — eius enim pulchritudo in natura eius non in locis constituta est, — et sicut lampas magna et praeclarae lucis eosdem radios lucis dimittit in manibus domestici et alieni posita, ita et baptisma praeclarum, quod *christianum* luce aeterna splendescere facit, idem est apud nos et apud alios, qui easdem constitutiones [1] recipiunt, qui eadem festa redemptionis nostrae nobiscum persolvunt.

Hoc patet et ex sanctis patribus et eorum synodis. Cum enim tempore persecutionum paganorum nonnulli baptisma Spiritus renegassent, patres nostri non admiserunt, ut redeuntes iterum baptizarentur. Sciebant enim non esse secundum baptisma. Sed imponebant poenitentiam ad tempus constitutum. Homines autem, qui secundum propriam sententiam magis solliciti erant, ego
p. 16. autem dico qui magis caritate destituti erant, non solum baptisma secundum non permittebant, sed neque poenitentiam post baptisma concedebant. Ideo ab ecclesia tamquam non misericordes abscisi sunt. Si enim eos, qui voluntarie abnegant *fidem* non per baptisma secundum, sed per reconciliationem et oleum unctionis tantum reducimus [2], quanto magis decet ut eos qui non negaverunt, non per baptisma iteratum, quod nihil est, sed per reconciliationem et signationes oleo unctionis domesticos faciamus Christi et ecclesiae catholicae [3]. Sicut enim ex utero et e terra [4] semel tantum nascimur, nemo enim bis neque ex matre nascitur, neque ad vitam immortalem, ita etiam ex utero spiritali baptismatis semel tantum nascimur. Et sicut idem uterus regem, servum et mercenarium gignit — ratione enim substantiae nihil differt rex a servo aut servus a mercenario: substantia enim pares sibi sunt: quoad regnum et servitutem autem non pares sibi sunt; — et sicut imago aut sigillum regis in tribus materiis [5] auri, argenti et aeris idem est sine differentia, materiae autem neque inter se, neque imagini regis in ipsis *expressae* pares sunt: ita et uterus, *id est* Spiritus, et imago regis, *id est* baptisma, in invocatione et nomine Trinitatis
p. 17. delineata et figurata, eadem est sine differentia in nobis orthodoxis, Chalcedonensibus et Severianis, et sigillum regis in

[1] « διάταξις ». — [2] De reconciliatione haereticorum, cf. Maruta can. 1 (Braun: *De s. Nicaena synodo*, p. 61 sqq.). — [3] Timotheus II (Assemani: *Bibl. Or.*, III, II, 287) paullo aliter, tres « consignationes » postulat. — [4] Intellige: per resurrectionem. — [5] « ὕλη ».

non in separatione substantiarum [1], sed in unione sublimi et insolubili; a *termino* « hypostatice » ad hunc « personaliter », et a *termino* « metaphorice » et « ex gratia » [2] ad hunc « vere » et « proprie », quod ostendit filiationem Verbi naturalem.
5 Doce eos omnia excelsa et sublimia, quae in natura Verbi in- p. 14.
carnati sunt, per unionem realiter et naturaliter esse iam in natura hominis Verbi; [humilia autem et abiecta] [3], quae in natura deificatae carnis sunt, per unionem et sublimiore sensu, quasi a typo ad archetypum *relata*, et ipsius Verbi incarnati
10 esse. Sicut enim ferrum igni iniectum, huic non dat frigus et nigredinem, sed potius ignis ei calorem et luciditatem dat, aut, si vis, sicut non corpus animae mortem et irrationalitatem, sed anima corpori vitam et rationem dat, et *sicut* una est luciditas in igne et ferro, non duo, et una vita et ratio in anima
15 et corpore, non duo, ita humanitas divinitati non dat passionem et mortem, sed divinitas humanitati suae impassibilitatem, immortalitatem et omnia sublimia tribuit. Et una persona filiationis naturalis, indivisibilis in Verbo simul et carne cognoscitur. Et unus est filius et Christus, non autem duo filii aut
20 Christi sunt. Talibus verbis et medicinis aegritudines de passibilitate divinitatis et de unione aufer suaviter incantando. Causam baptismatis autem libenter dimitte. Hoc enim est membrum sanum, sanatione non egens. Non enim egent sani medico, sed potius male habentes [4]. Tu autem fac quae congrua sunt!
25 Quomodo cum fundamenta domus firma sint, tectum autem
dirutum, cum tecto etiam fundamenta firmissima evertes? Aut p. 15.
cum oculus hominis defecerit, quomodo non oculis tantum, sed et pedi sano medelam afferes? Si quis non in nomine Trinitatis baptizatus est, sed baptisma Iohannis accepit, quod non
30 Spiritum sanctum, sed remissionem peccatorum per poenitentiam dedit, esto Paulus secundus; iterum baptiza in nomine Domini; impone manus et confer Spiritum sanctum, sicut Apostolus tunc illis, qui Ephesi erant, fecit [5]. Si autem in nomine Trinitatis aut Domini nostri baptizatus est — nihil enim
35 hoc differt quoad baptisma, — cur falsum dicis aurum bonum? Cur reprehendis margaritam propter concham? Sicut enim margarita eandem pulchritudinem habet in corona regis et in

[1] « οὐσία ». — [2] κατ' ἀνάφοραν, κατὰ χάριν. — [3] Haec e textu excidisse manifestum est. — [4] Marc., ii, 17. — [5] *Act.*, xix, 1 sqq.

et Spiritus sancti, baptisma non est tollendum, quod eo modo quo Dominus praecepit, perfectum est. Bene enim nobiscum et sicut nos hoc perficiunt. Non enim divinitas et Trinitas alia illis et alia nobis laudatur et adoratur, ita ut invocatione quidem et nomine prioris baptisma posterioris vanum sit, invocatione autem posterioris, baptisma prioris solvatur et destruatur. Una enim est deitas, quae in Trinitate adoratur, et idem baptisma apud nos et illos. Sicut enim habemus eandem confessionem unius divinitatis et Trinitatis, eandem confessionem divinitatis et humanitatis Domini, eandem magnam spem resurrectionis ex mortuis, eandem gloriam regni caelorum et idem iudicium venturum, eandem adorationem signi crucis vivificantis, eandem adorationem lucis veritatis versus orientem, ita et idem baptisma habemus omnes, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizamur et baptizamus. Quae ergo recte nobiscum et sicut nos *faciunt,* non vituperemus; quae autem incorrecte et contrarie dicunt, corrigamus et arguamus. Lis enim inter nos et illos non est de baptismate, neque de divinitate in Trinitate, aut de Trinitate in divinitate, neque de divinitate et humanitate Christi domini, sed de unione divinitatis et
p. 13. humanitatis atque de passione et morte, quas in naturam divinitatis referunt. Has *sententias* destruamus, corrigamus et arguamus. Sicut non vituperandi sunt de *confessione* et adoratione unius divinitatis et Trinitatis, de confessione resurrectionis ex mortuis, divinitatis et humanitatis Domini, unitatis personae, filiationis naturalis et dominationis — in *his* enim omnibus bene nobiscum consentiunt, — ita neque de baptismate vituperandi sunt, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti perficitur. Bene enim nobiscum id absolvunt. Utinam et in ceteris sicut in hoc nobiscum concordes essent! Si esses medicus et ad aegrotum intrares, qui patitur tunc ex iecore, tunc ex renibus, num propter dolorem iecoris et renum, et oculis et cerebro medelam afferres, cum sint membra munda et sana? Num forte membra quidem aegrota sanares, sana autem *medela* non indigentia extirpares? Pariter corrige modum unionis, quo laborant, trahens eos a *termino* « naturaliter » et « necessarie » ad hunc « voluntatis » et « beneplaciti » [1]

[1] κατ' εὐδοκίαν.

ptisma. Neque enim in Deo, qui homo per unionem non sit, neque in homine, qui Deus per unionem non sit, redempti sumus. Sed in Deo incarnato et in homine deificato in Virgine elevati sumus. Pariter enim et in uno concursu indivisibili utrumque factum est: incarnatio Verbi et deificatio et elevatio carnis. Non enim gradatim aut successive descensus Verbi incarnati aut elevatio carnis deificatae facta est, sed, sicut dictum est, simul sine discrimine eodem cursu unionis utrumque factum est. In hoc enim consistit redemptio nostra; non in Deo p. 11.
nudo a purpura humanitatis, neque in homine exuto natura divina [1], sed in uno eodemque filio Dei, qui natus est in divinitate sua ex Patre ante tempora, in humanitate sua ex Maria in fine temporum. Si ergo quis *baptizatus est* ab eis qui negant divinitatem Domini nostri, sed confitentur eius humanitatem, aut vice versa, qui confitentur eius divinitatem, sed negant eius humanitatem, necessario is rebaptizandus est. Omnino enim non est baptisma id, quod a talibus fingitur, sed apparentiae tantum inanes et phantasiae vanae.

Si autem baptizatus est ab iis qui divinitatem et humanitatem Christi Domini, et unitatem eiusdem filii in divinitate et humanitate eius confitentur, *animadvertendum est istos* sibi invicem opponi et adversari: alii enim confitentur unam personam [2] filiationis naturalis in duabus naturis et hypostasibus; alii autem, unam hypostasin in duabus aut ex duabus naturis; alii vero unam personam, hypostasin et naturam confitentur, et eorum dissentio non quidem de divinitate vel humanitate, sed potius de unione divinitatis et humanitatis est — non enim de substantiis et naturis, sed de qualitate et specie unionis certant: — hoc quid facit quoad baptisma? Sicut enim propterea quod unum Deum confitentur, confessio unius Dei non est reiicienda — bene enim nobiscum et sicut nos unum Deum confitentur, — nec propterea quod Trinitatem hypostaseon confitentur, has negare aut alias his exceptis confiteri debemus, nec propterea quod divinitatem et humanitatem Christi confitentur, has reiicere p. 12.
debemus — bene enim sicut nos et nobiscum has confitentur, — ita etiam propterea quod baptizant in nomine Patris et Filii

[1] Theodorus Mops.: ἀνθρωπος ψιλός. — [2] « πρόσωπον ». — [3] De adoratione crucis cf. Ebediesu Nisibenus: *Collectio canonum* V, 9, et: *Liber margaritae*, V, 2; *B. O.*, III, II, 349 sqq.

vocatione Trinitatis iterans. Quid tunc nos impedit secundum baptismata Iudaeorum quotidie baptizari et mundari? Sed ii, qui semel in baptisma descenderunt et in homine veteri crucifixi et cum Christo mortui sunt, non possunt iterum filium
p. 9. Dei crucifigere et opprobriis afficere in secundo baptismate, sicut docet divinus apostolus [1]. Opprobrium Christi iteratum est baptisma iteratum. Nonne sufficit ad solvendum peccatum et mortem una crux Christi, quae adumbratur per illud primum baptisma, quo recte baptizati sumus? Estne necessarium ut aliam addamus et filium Dei iterum crucifigamus et opprobriis afficiamus per illud secundum baptisma? Intelligamus apostolum illud: « ut denuo crucifigant Filium eius et opprobriis afficiant [1] », de secundo baptismate dixisse, et hoc ne nomine quidem simplici baptismatis dignum habuisse. Cum enim primum quidem baptisma nominet: « non possunt ii, qui semel in baptisma descenderunt », secundum, non baptisma, sed crucem et opprobrium filii Dei vocat. Absurdum est ergo baptisma secundum. Si enim baptisma figura mortis et resurrectionis est, mors et resurrectio autem semel nobis accidunt, ergo et semel baptizandi sumus.

Si baptismate Domini baptizamur, Dominus autem semel tantum baptizatus est, *amplius* nobis quaerendum est, utrum a christiano aliquo quis baptizatus sit, an a non christiano. Si a non christiano, hoc non est dicendum baptisma. Si a christiano, *quaerendum est* utrum ab eo, qui chirotoniam et ordinationem accepit, aut ab eo qui non accepit. Si ab eo qui
p. 10. non accepit, et ego dico eum necessario [re]baptizandum esse [2]. Neque enim alter charisma tribuit, quia non potuit: neque alter donum accepit, sed vacuus et sitiens dimissus est. Sin autem ab illo qui chirotoniam accepit baptizatus est, *quaerendum est*, utrum ab orthodoxo, an ab haeretico. Si ab orthodoxo, non est rebaptizandus. Sin autem ab haeretico, *quaerendum est*, utrum ab haereticis confitentibus Christi divinitatem, negantibus autem eius humanitatem, quales sunt Simon *Magus*, Mani, Marcion et alii, an ab iis, qui naturam eius humanam confitentur, divinitatem autem negant, quales sunt Paulus *Samosatenus*, Photinus et Marcellus *Ancyranus*, qui sententia iudaica aegrotant. Si a talibus baptizati sunt, et ego testificor, hoc non esse ba-

[1] *Heb.*, VI, 6. — [2] Cf. TIMOTHEUM II et pseudo-GEORGIUM ARBELENSEM, *B. O.*, III, II, 261, 263; cf. et p. 266.

tamquam in pignus ex parte Spiritus sancti, tunc autem in perfectione sublimi et universali, ubi exuimus hominem veterem et novum induimus innovatum scientia in similitudine creatoris [1]. Bene utitur praeposito [2] « unus », quod singulis praeponitur. Sicut enim unus est Dominus, non duo, et una fides et unum baptisma, non duo aut plura, ita et unus Deus Pater, non duo aut plures. Si plures Dei essent, et plura baptismata esse de- p. 7.
berent; ergo et varietas fidei; ergo et plures domini secundum conclusionem. Si ergo plures Dei essent, et plures domini essent. Sin autem non sunt plures domini: unus enim Dominus, neque varietas fidei: una enim fides, neque plures dei et patres: unus enim Deus, pater omnium, patet ergo, non esse plures deos et dominos. Qui enim unum baptisma in duo vel quotlibet baptismata scindit, is et unum Dominum, unam fidem, et unum Deum pariter scindere debet. Quod si haec scissio impossibilis est, nec illa fieri potest. Recte « unus » omnibus his additur, et sicut illud « unus » in Deo scindi non potest, ita neque in baptismate, quod in nomine eius perficitur. Nam et [3] cognitionem et distinctionem hypostaseon *Trinitatis* unitas nominis, naturae et virtutis unit. Si ergo ille « unus Deus » p. 8.
in alium permutari potest, et illud « unum baptisma » potest. Sin autem illud omnino fieri non potest, neque istud. Si potest permutari ille « unus Dominus » in alium dominum, potest et illud « unum baptisma ». Sin autem illud fieri non potest, neque istud. Omnia enim invicem coniuncta sunt sicut catena aurea. Si unum solvitur in duo, et alia solvuntur in duo; sin autem omnia solvi non possunt, neque unum solvi potest. Retine ergo sicut unum Deum et unum Dominum et unam fidem, ita et unum baptisma.

In qua ergo Trinitate et invocatione baptizati sunt ii, qui iterum baptizati aut immersi sunt? Si in invocatione Trinitatis creatae: apage! Hoc est submersio, non baptisma. Si autem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est unius Dei aeterni, causae et creatoris omnium, qui trinus in hypostasibus et proprietatibus, unus in substantia et natura adoratur et creditur — *quae est* fides communis omnium christianorum — superfluum aliquid facis, nativitatem in eodem nomine et in-

[1] *Col.*, III, 9 s. — [2] « πρόθεσις ». — [3] Ms. ܐܦܠܐ, « neque ».

tissima, a parte naturae plenissima et abundantissima, a parte studii virtute sanandi instructissima est, quomodo deseris ordinem magistrorum, lucis et sapientiae, et venis ad ordinem
p. 5. discentium, illuminandorum et instituendorum? Tu qui per Spiritum et a diebus longis omnes gradus intellectus et speculationis [1] assecutus es, alios multos ex multitudine multipliciter instituisti et omnem auditum et existentiam radiis magnae scientiae *docuisti*. Nonne manifestum et evidens est, te quaestiones proferre non tamquam discipulum, sed tamquam doctorem et fratrem, qui quaerendo instigat ad loquendum? Ita et Dominus interrogavit: « Ubi es Adam? » [2] et: « Quid dicunt homines de me, me esse? » [3] et: « Quot panes habetis? » [4] et: « Ubi posuistis eum? » [5] et: « Habetis aliquid ad manducandum? » [6]. Non tamquam nescivisset. Quomodo potuit nescire is, qui scientia et virtus Dei est et in quo latent omnes thesauri virtutis, sapientiae et scientiae. Sciebat exacte omnia antequam fierent: « Sciebat enim, quid esset in homine et non necesse habebat, ut aliquis ipsi testimonium daret de omni homine » [7], sicut scriptura docet. Ita et sancti interrogabant non nescientes: de plenitudine Domini enim sumpserunt. Dominus enim est quasi mare infinitum lucis, hi autem sunt quasi lampades lucis. Taliter vos interrogatis; nos respondebimus id, quod et vos dare scitis.

Dicit beatus Paulus apostolus, immo Christus dominus in Paulo loquens et usque adhuc per eum loquens, tunc ad *aliquot* ho-
p. 6. mines, nunc ad totum orbem universaliter: « Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, pater omnium, super omnia, per omnia et in omnibus » [9]. Et bene gradatim dicit primo « unus Dominus », deinde « una fides », tum « unum baptisma »; tunc ascendere nos facit ad causam et perfectionem sublimem omnium illud « unus Deus, pater omnium ». In initio ponit « unus Dominus », per quem a cultu daemonum recessimus et ad fidem veram appropinquavimus. Postea addit « una fides », cum per ipsam ad baptisma accedamus. Si enim non credimus, non baptizamur. Dein profert « unum baptisma », cum perficiatur multiplici invocatione divinitatis in Trinitate et cum in eo conscribamur filii Dei per gratiam, nunc quidem

[1] « θεωρία ». — [2] *Gen.*, III, 9. — [3] MATTH., XVI, 13. — [4] MATTH., XV, 34. — [5] IOHANN., XI, 34. — [6] LUC., XXIV, 41. — [7] IOHANN., II, 25. — [8] IOHANN., I, 16. — [9] *Eph.*, IV, 5. *Peš*: ܘܒܟܠܢ « et in nobis omnibus ».

Confidentes virtuti divinae incipimus scribere epistulas p. 3.
Mar Timothei primi, catholici, patriarchae, quas scripsit per decursum patriarchatus sui, qui incepit anno Domini 778 et finem sumpsit anno Domini 820.

5 Primum. Epistula eius ad Salomonem, episcopum Ḥedatta: de baptismate. Quod non licet [re]baptizare Cyrillianos [1].

Canoni [2] recto et regulae virtutis et scientiae, sancto Dei, Mār Salomoni episcopo: Timotheus peccator, servus minimus Do-
10 mini, veneratur sanctitatem tuam et petit orationem tuam.

Sicut proprietas lucis est, o sancte Dei, illuminare, non illuminari, ita est et sapientiae docere, non doceri: etsi secundum praeexistentiam et insertionem hae *qualitates* non sine p. 4.
causa et sine principio sunt. Unus enim unicus est sine prin-
15 cipio et causa: si tamen decet ut « unus » et « unicus » dicatur is, qui elevatus est et intelligitur esse, reapse et summa perfectione, super *terminos* « unus » et « unicus »; is cui nihil addi aut e quo nihil tolli potest. Huiusmodi enim sunt et erunt quaecumque ad Deum pertinent: maxime autem apud nos ho-
20 mines, et sine alia causa et sine principio sunt. Omnia enim sale saliuntur. Si autem sal evanuerit, in quo salietur? [3]. Et si lux obscuratur, quo illustrabitur? Pariter si sapientia stulta evadit, quo instruetur? Ita est proprietas sanctitatis tuae, docere, non discere, instruere, non instrui ab aliis. Possides enim
25 scientiam sufficientem ex natura et studio, immo et ex Spiritu illo, qui omnia scrutatur, qui attrectat exacte et profunditates Dei [4], qui tamquam consubstantialis Deo, aeternus ab aeterno et aeternaliter est. Non per modum nativitatis — unus enim natus est immutabili et intemporali modo — sed per modum
30 processionis. Solus enim procedit ex Patre ante omnia saecula et momenta rectissimo modo datus. Nobis autem revelavit Deus in Spiritu suo *supra* dicto. Si sanctitas tua a parte Spiritus di-

[1] R habet: « Epistula s. Mar Timothei catholici ad Salomonem episcopum. Cur confiteamur Cyrillianos non essse [re]baptizandos ». - Scripsit Timotheus et alteram epistulam ad eumdem de eodem argumento; cf. p. 19. — [2] « κανών ». — [3] Matth., v, 13. — [4] 1 *Cor.*, ii, 10.

Bφ
1929

FA
3989
1566

discrimina prae se ferunt, quae amanuensium neglegentiae adscribenda sunt, aut etiam sollertiae: nam hic illic verba in archetypo fere deleta quae alter legere non valuit, alter aut descripsit aut fortasse tacita coniectura supplevit.

III. Ex Epistulis quae priori tomo dantur iam meis curis in lucem prodierunt quattuor, nempe: Epistula ad Mar Pethion (p. 59) [1] et tres epistulae ad Mar Sergium (p. 78, 79, 80) [2]. Praeterea, excerptum alius epistulae ad eumdem Sergium (p. 84) recitavit H. Pognon [3]; excerptum epistulae ad Maranzeka (p. 96) vulgavit G. E. Khayyath [4], necnon excerptum epistulae ad Sergium (p. 102) [5]. Reliquae quantum scimus ineditae sunt.

IV. Epistularum versionem integram et litteralem tradere conati sumus. Vocabula graeca syriace transcripta non raro adhibet auctor noster; horum nativam formam restituimus, et ad imas paginas inter signa « » notavimus. Varios indices onomasticum, biblicum, analyticum ad calcem tomi posterioris adiciemus.

O. B.

[1] *Oriens Christianus*, t. II [1902], p. 11 et seq.

[2] *Op. cit.*, t. III [1903], p. 1 et seq.

[3] *Une version syriaque des Aphorismes d'Hippocrate*, Leipzig, 1903; praefat.

[4] *Syri Orientales... et Romanorum Pontificum primatus*, p. 37 (Romae, 1870).

[5] *Éléments de lecture*, p. 152 (Mossoul, 1869).

PRAEFATIO

I. Timotheus Nestorianorum patriarcha, huius nominis primus, anno D. 823 vita functus est. Inter scriptores syros locum non infimum tenet. Eius notitia operumque elenchus tractatibus canonicis in prima serie edendis praeponentur. De eo fusius scripsit H. Labourt [1], et de Epistulis, quas nunc vulgandas suscepi, ipse peculiari modo olim disserui [2].

II. In editione adornanda, duobus codicibus usus sum:

Alter est codex olim Musaei Borgiani Ix. VI. 3, modo in bibliothecam Vaticanam translatus et ibi *Borgiano siriaco 81* notatus [3]. Scriptus est curis Iosephi David qui illum secum Romam detulit anno 1869.

Alter est codex scriptus in pago Alqoš, prope Mosulem, manu Iosephi diaconi, filii Ionae, A. D. 1899, et dein liberalitate Iacobi Manna episcopi chaldei, in possessionem I.-B. Chabot traditus.

Sed ambo codices ad idem archetypum Mosulense, incertae aetatis, exscripti sunt [4]; et ideirco modica tantum

[1] *De Timotheo I, Nestorianorum patriarcha*; Parisiis, 1904.

[2] *Der Katholikos Timotheos I und seine Briefe*, in ephemeride quae *Oriens Christianus* inscribitur, anno I [1901], p. 147.

[3] Codicis notitiam videas apud P. Cersoy, *Les manuscrits orientaux de Mgr David au Musée Borgia* (*Zeitschr. für Assyriologie*, t. IX, p. 361).

[4] De hoc codice vide Addai Scher, *Notice sur les manuscrits syriaques conservés dans la bibliothèque du Couvent de N.-D. des Semences*, Cod. 90 (*J. A.*, 1906², p. 55).

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

JUN 5 - 1944

12685

TIMOTHEI PATRIARCHAE I

EPISTULAE

I

INTERPRETATUS EST

OSCAR BRAUN

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
J. GABALDA, BIBLIOPOLA
RUE BONAPARTE, 90.

MDCCCCXV

CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, H. HYVERNAT

SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA

TOMUS LXVII

VERSIO

ROMAE MDCCCCXV

THE

SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS LXVII

TIMOTHEI PATRIARCHAE I

EPISTULAE

I